JVRISPRVDENTIA PVBLICA

In qua

Status S. Romano-German. Imperii præſens

Juxta leges noviſſimas in ſpecie Capitulationes

LEOPOLDI & JOSEPHI

delineatur,

&

Hodiernæ illuſtriores Controverſiæ Principum

adjiciuntur.

IN REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA

PUBLICIS DISSERTATIONIBUS

propoſita

a

JACOBO BRUNNEMANNO,

JURIUM LICENTIATO.





Halæ Magdeburgicæ, Impenſis JOH. FRID. ZEIDLERI & HENR. GEORG. MUSSELII. 1701.

MONITA
ad
LECTOREM.


Vas alii ambitiosius solent conqvirere causas editorum suorum librorum; scilicet amicorum freqventes sollicitationes, Patronorum nutus & vota, Salutis publicæ promovendæ ardorem; illas, uti ego non magni facere soleo, causas svasorias a justificis discernere amans; ita ingenue fateor, nullam harum fuisse, qvæ me ad præsentes Dissertationes Juris publici edendas impulit. Cum primum illæ in chartam conjiciebantur, ad nihil aliud erant destinatæ, qvam ut qvælibet per duas tresve horas disputationes Academicas pro more instruerer. Petierant hoc a me duo Generosi ac Nobilissimi Juvenes, periculum virium suarum facturi in Cathedra, me Præside. Non deesse illis potui, cum p. t. commodis studiosæ Juventutis memet mancipaverim. Hinc horum honestissimo desiderio eo promptius annui, quo magis Disputationum publicarum freqventiam stationes Academicæ qvæcunqve exigere soleant. Nam sine his, functiones illas vix decenter sustineri posse, plerorumqve calculum meruit. Extra Cathedram autem si res agendæ, disputationes

existimo inutiles, odiosas, nocivas. De hoc itaqve proposito certiores facti Bibliopolæ hujus loci duo, ultro licentiam a me petierunt plura exemplaria procudendi, qvamqvot alias ad disputandum opus fuit, cum hæc patronis amicisqve tantum offerri soleant, & ad publicam omnium notitiam raro perveniant.

Hæc monere in præsenti vix sustinuissem, nisi exinde sperarem excusationem nævorum, qvos forsan unus aut alter Censorum, qvi magis acutum cernunt, qvam Aqvila aut serpens Epidaurius, deprehensurus sit. Scio magnæ molis opus esse conscribere librum de aliqva materia, qvi in necessariis non deficiat, in apparatu non abundet, & in tradendo justum ordinem adhibeat. Scio horum librorum paucitatem deprehendi in omni scibili a cordatioribus. Scio etiam nec præsens opusculum ad hanc normam confectum esse. Non deprehenditur in illo methodus Synthetica, nec Analytica, nec causalis, nec tabellaris. Dissertationes enim sunt, in qvibus, uti in alia omni re proponenda, Methodus arbitraria sæpius optima est, qvod & me, ut puto, a reatu peccati philosophici in Divum Aristotelem aut Ramum commissi, facile absolvet. Si hoc obtinuero, licebit vicissim per me aliis, solitum ordinem Ramæo-Aristotelicum in Dissertationibus & libellis suis humillime exosculari, aut illum solenniter qvotannis hecatombe & aliis venerationis gratitudinisqve signis proseqvi.

Uti vero methodus facile excusabitur apud illos, qvi magis nucleum qvam putamina amant; ita difficilior

lior labor videtur, si forsan Qvæstionarii objicient, deficere præsentem laborem in necessariis, cum tot qvæstiones, qvæ ab aliis Publicistis (qvod vocabulum cum venia Nizoliorum prolatum volumus) moventur, hic non occurrant. Fateor rem ita esse. Deprehendes paucas qvæstiones cum rationibus dubitandi & decidendi, uti non paucis Scriptoribus moris est. Nam existimavi, Facultatibus Juridicis hanc inventionem aptiorem esse, qvam compendiosis scriptoribus. Veritas sæpius tribus verbis tantum indiget, vicissim inutilibus pluribus suffocatur. Præterqvam igitur, qvod nescio quo naturæ ductu a quæstionaria methodo alienior sim, brevitas instituti, & quod quamlibet Dissertationum ad spatium duarum aut trium plagularum adstrinxerim, me potius sollicitarunt, de ingenuis Principiis, quam quæstionibus sollicitum esse. Principia in qualibet disciplina, & sigillatim in jure publico sunt pauca, conclusiones infinitæ. Si illa cognita habeas, proprio Marte conclusiones inde deducere licet, & quæstionibus de singulis rebus satisfacere. Multæ igitur conclusiones, multæ quæstiones cumulatæ, aut ab hoc & illo mutuo, solito more, sumtæ sine certis principiis, meliori jure, quam ut ille ajebat de Senecæ scriptis, vocari poterunt calx sine arena.

Hinc & excusationem merebitur illa, quæ alicui prolixior videri poterat, *tractatio historica* per plerasque Dissertationes dispersa. Existimo enim, nulla certa Principia in jure publico poni posse sine Historia Germanica, ad minimum a tempore Caroli M. Notum omnibus est, etiam iis, qui hæc studia saltem primoribus la-

bellis deguſtarunt, quanta vis in rebus Imperii longævæ conſvetudini & obſervantiæ ſit, quæ tamen nil aliud eſt quam antiquitatis Germanicæ Hiſtoria, bene hoc monente Dn. Coccejo. Sine hac nunquam feliciter ſe expedient, qui ad commentandum de tam irregulari forma Imperii, qualis noſtra eſt, provolant in publicum. Hac notitia, loco febriculoſarum allegationum ex Jure Romano, ſi imbuti fuiſſent Paurmeiſterus, Reinkingius, Arumæus, & quicquid eſt Aboriginum in Jure publico; vera principia Juris publici Contingio Medico non deberent JCti.

Per notitiam vero Hiſtoriæ Germanicæ in Jure publico tradendo neceſſariam, non intelligo nudam recenſionem factorum v. c. ubi Carolus M. natus? an in agro Unſtrutano? ubi Otto M. Feſtum natalitium Servatoris celebravit &c. Hæc & ſimilia ex tot compendiis poſſunt hauriri citra artem, ſi artem legendi intelligas. Hinc tales ſimplices ſive nudos Hiſtoricos, utut non citra oſtentationem hiſtorias crepantes, tantum abeſſe exiſtimo a ſolidiori cognitione Juris publici; quantum abſunt a vera eruditione, qui literas latinas duntaxat callent una cum balbutientibus nonnullis terminis illius profeſſionis, unde vitæ ſubſidia expectant. Tunc demum Hiſtoria Germanica, ut verum fundamentum ſubſternitur Jurisprudentiæ publicæ, ſi momenta factorum bene perpendantur, delineatio Status Imperii de ſeculo in ſeculum inde exponatur, leges publicæ, receptæ conſvetudines, obſervantiæ immemoriales ex Jure Naturali & Gentium illuſtrentur, dextreque ad ſtatum præſentem applicentur;

tur. Verbo: si ex Jure publico universali, ab Hubero nervose explicato, ceu fusius deductum est in Dissertatione I. applicatio fiat ad Jus Publicum speciale Germaniæ, quod non fieri potest citra exactam notitiam historiæ Germanicæ, saltem a temporibus Carolingorum.

Sed non unica hæc causa est encomii historiæ Germanicæ. Simul enim viam munire volui rationibus nunc edisserendis, cur in Dissertatione IV. formam sive statum Imperii proxime *ad systema fœderatarū Rerumpublicarum accedere* persvasus sim. Equidem cum Monzambanus illam opinionem primitus exponeret luci, nullius non Annotatorum dissensum, imo ab importunioribus convitia, experiebatur. Conringius jam antea illud subinnuerat, sed de industria aliquantisper obscurius, ut insulsorum hominum clamores evitaret, ceu non improbabiliter de eo judicat Monzambanus. Postea tamen Rachelius idem asserere non est veritus, aemque magis ac magis, contra Kulpisium aliosque reclamantes, defendit docte solideque novissimus Monzambani Scholiastes. Et sane si historiam Germanici Imperii consulimus, ac paulisper autoritatis præjudicium, quod par est, sequestremus, non videtur aliter pronuntiandum esse. Quicquid enim sit de sententia Furstenerii satis docta, quod & Caroli M. tempore jam devicti Principes Germaniæ relicti fuerint in Provinciis *conditione imparis fœderis verius* quam subjectionis; tota historia loquitur satis, quod Principes, stirpe Carolina extincta, electo Conrado I. nil aliud intenderint, quam formam systematicam. Equidem clare & expres-

expresſis verbis Hiſtorici coævi hoc non innuunt, ſed quid inde? rem exprimere, uti geſta eſt, contenti, de vocabulis non fuerunt ſolliciti. Nam de hiſce terminis technicis nil conſtabat ipſis ob barbariem temporis, & quia politica ipſorum ſcientia ultra Ariſtotelem non ſapiebat, imo vix illum percipiebat. Accedebat, deſiderantibus hoc in Ariſtotelis politica prudentioribus, quod nil fere de ſyſtematibus Rerumpublicarum apud ipſum deprehendatur, cum tantum ſollicitus fuerit illas formas Civitatum, quæ tunc in Græcia in uſu, delineare. Inde puto factum eſſe, quod ſemper de Germaniæ forma tanquam Monarchica locuti ſint, accedentibus externis ſimulacris Regiis Germanico Regi relictis, & perſvaſione inveterata de Monarchia Romana ad ſeculi conſummationem uſque duratura. Externa hæcce ſchemata, tum & præjudicium illud, ſatis valida erant, opinionem inanem de Monarchia Germaniæ conſervandi. Nam qui ſolida Politices notitia non imbutus eſt, quod illis temporibus fieri non poterat, externis facile capitur. Sic tempore Auguſti populus eandem, quæ antea, Reipublicæ formam ſibi imaginabatur, cum artificio Auguſti & Tiberii eadem Magiſtratuum vocabula & alia ſchemata Democratiæ aut Ariſtocratiæ relinquerentur, vis vero Imperii revera penes unum erat.

Hypotheſi vero de forma Imperii ſyſtematica, Hiſtoriæ Germanicæ, & intentioni primæ fundationis Imperii, aut fundationem primam mox inſecutæ mutationis cum extinctione ſtirpis Carolinæ, conformi innititur & illa, quæ Diſſertatione V. de *Reſervatis Imperatoriis*

ratoris affertur. Facile proinde veniam me impetraturum esse speravi a manibus Reinkingianis & Stamlerianis, licet vestigia ipsorum in inquisitione hujus thematis non pressa sint; nec jura hodierna Imperatoris ex obsoleto Jure publico Græcorum, in libris tribus ultimis Codicis repetitæ prælectionis contento, derivata deprehendantur. Condonabunt illi mihi errorem, in quo hæreo, quod Status veterum Romanorum, & postea Imperatorum Constantinopolitanorum, toto cælo distet a Statu Regum Germaniæ, quibus in superpondii vicem tempore Ottonis Magni demum titulus Imperatorius constanti serie accessit. Præterea secundum philosophiam quam ego amplector, Status est qualitas secundum quam jus variat, & diversus Status diversa etiam jura facit. Hinc ne poterunt quidem omnes leges Germaniæ, quæ ante ducentos & trecentos annos sub alia Reip. facie latæ sunt, æque secure applicari ad hodiernum Statum, per Reformationem Evangelicam, per Capitulationes Cæsareas, per pacem Westphalicam immane alteratum, sæpius & mutatum. Fusius hoc alibi, nimirum in Dissertatione *de Mutatione A. Bullæ*, deductum est, nec omisi convenientibus locis præsentium dissertationum hoc innuere. Sine hac observatione existimo multas decisiones in Jure publico genium seculi præsentis simplicitatis damnaturum esse. Eo pertinet v. c. si quis ex A. Bulla vellet hodie urgere, Electores intra certum tempus non eligentes Imperatorem *aqua & pane* esse cibandos. Item: Electorum filios vi A. Bullæ adhuc hodie lingva Schlavonica, Teudisca & latina imbuendos esse. Vereor etiam ut haud

)( )(pauci

pauci hoc tempore magnifice sint existimaturi de ejus prudentia, qui asserere vellet, Principes Germaniæ, si peccassent, adhuc hodie cogi posse ab Imperatore ad canem scabiosum portandum per aliquot stadia, quia olim ita moris fuisset frequentis, ut Crusius integrum librum de portatione Canum consarcinaverit; illam pœnam consvetudinariam nulla expressa lege mutatam esse, quod non mutatum sit, cur stare prohiberetur?

In universum autem haud infitiari cupio recentiorum Publicistarum vestigia memet magis secutum esse, quam veterum. Hinc malui Rhetios, Coccejos, Schilteros, Kulpisios, Monzambanos &c. frequentius allegare quam Reinkingios, Arumæos, Carpzovios, & quicquid est scriptorum Juris publici, qui ante Pacem Westphalicam novissimasque Capitulationes sua monumenta ediderunt. Ex pluribus causis placet in præsenti hanc allegare. Veteres tædiose sæpe controversiam ventilant posterioribus in legibus duobus verbis decisam sæpius. Insipidum igitur esset, glandibus vesci, ubi copia panis adest. Neque tamen propterea omnes allegationes veterum Publicistarum promiscue damnantur. Utantur iis per nos adoratores antiquitatis quamdiu lubet, imo in succum & sangvinem vertant Reinkingium & similes, ast non mox aliorum gustus, ad quem talia fercula hodie amplius non sunt, ut corruptus damnandus est.

Quod si porro aliquis antiquariorum horum, amori ergá recentiores Publicistas tribuere velit novas opiniones, passim in hisce Dissertationibus deprehensas; suo sensu abundare eundem lubentissime patiar.

Si

Si aliqua sententia est quam amplector defendendam contra communem Doctorum scholam, non amori erga primos proferentes hoc datur, quippe mihi nec beneficiis, nec injuria cognitos; sed amori veritatis inquirendæ. Eum in finem etiam in Cathedram deductæ sunt, quo scilicet pateret, quid dubiorum contra illas theses moveri posset. Postquam hoc examen sustinuerunt, nullius Censoris acrimoniam amplius reformidant. Existimo in Jure publico, uti in omni disciplina tradenda, attendi debere, *quid* dicatur, non *a quo?* Veritati certe non præscribitur, licet nudius tertius esset eruta, & contrarium per aliquot secula creditum fuisset. Convitium *Novatoris* nimis imbecillum est, quam ut animum veritatis cupidum, ab inquirenda veritate, & inventa amplectenda aut proponenda deterrere possit. Imo qui hoc elogio Novatoris solent præ aliis affici, illos cordati hodie habent pro solide doctis, h. e. de emendatione propria sollicitis, & propterea errores communes non speculativos, sed practicos, & in vita civili damnosos, detegere cupientibus.

Uti autem tali ratione in nonnullis a multis seorsim sentio cum paucioribus; ita facile prævideo, plerosque in quorum manus incident hæ pagellæ, vicissim suum dissensum desuper testaturos esse. Ubi sane ego contra regulas rectæ rationis impingerem, si libertatem qua ipsemet usus ab aliis dissentiens, in aliis ægre ferre vellem, si illi vicissim eadem uterentur. Puto interim dissensum meum tanta moderatione conjunctum esse, ut si quilibet eandem humanitatem &

 studium

studium ab omni contentione alienum experiatur, non habeat, de quo conqueri posit. Opiniones erunt inter eruditos, quamdiu homines erunt. Prudentiores vero inter illos nemini sua asserta obtrudunt, aut ut articulos fidei propugnant, cum privilegium infallibilitatis, quantum quidem constat, nulli mortalium peculiari gratia uminis hactenus concessum sit, aut spes sit, in posterum concessum iri.

A Terminis philosophicis & scholasticis consulto abstinui. Delicatiores enim credo aures illorum, qui talibus studiis delectari solent, quam ut difficilibus hisce nugis possint aut debeant gravari. Equidem non ignarus sum, a nonnullis hyperbolicis elogiis commendari ejusmodi entium Metaphysicorum usum in Jure publico, quod fluctus interpretum sedet, Monarchiam S.R.Imperii ad oculum demonstret &c. Ast his non invidemus; quod similia labra similes appetant lactucas. Certe si nullum alium usum illis terminis concedere vellemus, tamen fateri oporteret, quod sint panacæa contra Monzambanum & alios novatores, quorum dubiis objici possunt, ne vulgus eruditorum occulto illo veneno inficiatur, quasi nil solidi ad ista responsum fuisset ab adscriptitiis istis glebæ Reginæ Metaphysicæ.

Quid denique me permoverit ultimam disquisitionem de *Ratione Status* subjiciendi; exponitur *in* §§. *prior. Differt.* hujus. Non est animus ad Germaniæ Statum reformandum consilia suppeditare. Scio enim delicata esse ejusmodi themata, circa quorum tractationem plerique etiam naufragium existimationis

tionis fecerunt, dum plerumque consilia non practicabilia inveniuntur. Hinc potius scopus est ostendere vitia Status Germaniæ fere esse insanabilia. Præjudicia vero Boecleriana, quæ contra differentem de vitiis Status Germanici moveri possunt, ibidem elisa sunt. Equidem existimat Kulpisius *ad Monzamb. Cap. VI.* philosophiam de Statu Germaniæ esse invidiæ plenam; verum non omne invidiosum mox damnandum aut abjiciendum. Nam & tunc ipsa veritas fugienda esset, quippe odium & pericula creat sæpius. Sæque ingenue, quam docte, B. Kulpisius scribere ad Monzambanum voluisset, nullum est dubium, plura circa irregularitatem Status Germaniæ ipsum detecturum fuisse. Interim si vel minus rem acu ubique & præsertim in ultima Dissertatione nonnullis tetigisse visus sim, veniam tamen spero, cum & in arduis voluisse satis sit. Plura non addo, nisi ut B. L. rogetur errores typographicos sat copiosos æqui bonique consulere, cum pleræque Dissertationes alibi locorum typis sint exscriptæ, nec emendationi ipse vacare potuerim. Extantiores vero & sensum turbantes in calce tractatus correctos invenies. Ceterum ne lateat B. L. industria, quam Generosissimum & Nobilissimum par Juvenum, cujus ab initio mentionem injeci, abunde probavit Auditorio in defensione harum Dissertationum; Coronidis loco seriem Dissertationum, prout ab iis habitæ sunt, nunc adjicere placet.



Dissert. I.

De Natura & Adminiculis Jurispublici.

Respondente

Dn. Rudolpho Augusto de Lautensack, Equite Brunsvicensi.

Dissert. II.

De Legibus Imperii Fundamentalibus.

Respondente

Dn. Augusto Adolpho Ermisch, Brunsvicensi.

Dissert. III.

De Origine, finibus & Prætensionibus Imperii.

Respondente

Dn. Rud. Aug. de Lautensack, Eqv. Brunsv.

Dissert. IV.

De Imperatore & Rege Romano.

Respondente

Dn. Aug. Adolph. Ermisch, Brunsv.

Dissert.

Dissert. V.

De Reservatis Imperatoriis.

Respondente

Dn. Rud. Aug. de Lautensack, Eqv. Brunsv.

Dissert. VI.

De Collegio Electorali.

Respondente

Dn. Aug. Adolph. Ermisch, Brunsvic.

Dissert. VII.

De Statibus Ecclesiasticis Imperii.

Responpente

Dn. Rud. Aug. de Lautensack, Eqv. Brunsv.

Dissert. VIII.

De Statibus secularibus Imperii.

Respondente

Dn. Aug. Adolph. Ermisch, Brunsv.

Dissert. IX.

De Civitatibus Imperialibus & Nobilitate Immediata.

Respon-

Respondente
Dn. Rud. Aug. de Lautensack, Equ. Brunsv.

Dissert. X.

De Comitiis Imperii.

Respondente
Dn. Aug. Adolph. Ermisch, Brunsv.

Dissert. XI.

De Circulis & Judiciis Imperii.

Respondente
Dn. Rud. Aug. de Lautensack, Equ. Brunsv.

Dissert. XII.

De Ratione Status Imperii Germanici.

Respondente
Dn. Aug. Adolph. Ermisch, Brunsv.



ADDENDA.

AD DISSERT. I. §. V.

Apologia pro Machiavello, alias satis famoso, in hoc §. adornatur. Deprehendi autem postea, Illustrem Dn. Cancellarium de Jekna in Tract. *de Ratione Status pag. 19.* fere ad eundem modum Machiavellum excusasse his verbis: *Sed innocentis Florentini* (Machiavelli) *calamus Principum quorundam Italiæ* (maxime Cæsaris Borgiæ, Ducis Valentini) *genium & pessimos mores delineasse & utiliter indicasse videtur. Non quales esse debeant, depinxit; sed quales tum temporis nonnulli erant, ut illius seculi historiæ indicant. An Xenophontis* Cyropædia *ad fidem veræ historiæ conscripta, an potius ad justi & pii Imperii exemplar? Æneam Virgilius cantavit: Plinius* Trajanum *recensuit, non quales essent, sed quales esse debebant. Hinc apte & scite quidam* (Schuppius) *dixit: se Machiavellum eo modo legere quo legitur Grobianus.* Addo: Antonius Possevinus duriter judicavit de Machiavello, licet ejus scripta ab eo ne perlecta quidem sint, quod probat H. Conringius in *Præfatione ad Machiavelli Principem.*

EAD. DISS. I. AD §. XIX. & XX.

Agitur ibi de *Historia Germaniæ* & innuitur, quod illa in vetustioribus seculis non bene sæpius cohæreat. Spes vero aliquando facta est supplendi illum hiatum, & denuo corpus Germanicæ Historiæ perfectius concinnandi. Eum in finem nonnulli historiæ patriæ amantes Viri *Collegium Historicum Imperiale* meditati sunt, ex membris &

 sele-

ſelectis Hiſtoricis *omnium trium religionum* in Imperio conſtans. Nec difficilem, ad hoc inſtitutum, Imperatorem Aulamque Viennenſem ſe reperiſſe teſtatur Celeberrimus Dn. G. G. Leibnitius in literis ad Dn. J. Ludolphum, in quibus etiam de ſtilo hiſtorico deliberat, utrum præſtet annales Germanicos ſcribi ſermone quodam æquabiliter fluente; an potius diſtincto, quantum convenit ipſis conterraneorum verbis & monumentis, quali etiam uſus eſſet Cæſ. Baronius in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis. Conf. Dn. Paulini hiſtoriam *de Collegio Imperiali Hiſtorico* 1694. editam. Puto vero difficiliorem nodum totam rem in herba ſuffocantem ſuperveniſſe, quam deliberationem de ſtilo horum annalium. Objectum Collegii hujus Hiſtorici futuri citra dubium conſtituerent facta & res geſtæ Imperatorum & Principum noſtrorum. Si circa has, non more Novellarum velis agere, ſed veri hiſtorici partes implere, & *non ſolum nil falſi* ſcribere, ſed etiam *nihil non veri* reticere, cauſas ſvaſorias a juſtificis ingenue detegere, qui hoc fiet, aut ſperandum eſt a membris trium religionum? Nulla prudentia hic excogitari poterit ſufficiens removendis ſtudiis partium, ira, metu, odio. Vitia illa indolis humanæ ſunt, non individuorum. De Hiſtoria Anteceſſorum judicat Tacitus *lib. 1. Annal.* quod *florentibus Imperatoribus ob metum falſæ, poſtquam illi occiderant, recentibus odiis compoſitæ fuerint.* Immenſum vero augetur pravitas illa humana, ſi accedat ſuperſtitio opinione religionis blandiens. Omnium vero clariſſime Hiſtoria a *tempore Reformationis*, quæ eo utilior, quo nobis proximior eſt, ſtudia partium eſſet proditura. Vna pars haud dubie ex *Suriis, Ræmundis, Maimburgiis*, altera ex *Schleidanis, Seckendorfiis* &c. primarias rerum geſtarum circumſtantiis derivatura eſſet. Nec tollit difficultatem hanc, quod

tamen *societas fructifera* & *Collegium Leopoldino-Curiosum* floreant in Imperio nostro, licet ex variis membris uni religioni minime addictis constent. Nam harum societatum objectum, circa quod occupati sunt socii illi, est indifferens. Linguam teutonicam emendare, arcana naturæ eruere, res est plane diversa ab illa, qua dicta factaque personarum illustria quasi in scenam producuntur, à quorum recensione dependet judicium posteritatis, circa laudes aut vituperia occupatum &c.

EAD. DISS. I. AD §. XXII.

Commendantur Historici, ex quibus notitia status Publici recentioris in Germania hauriri potest. Vellem vero non omisissem *Epistolas Forstnerianas*, numero quidem paucas, sed nonnulla recondita circa Pacem Vestphalicam continentes. Conringius *de Civil. Prudent. Cap.14.pag.337.* illas ex merito extollit his verbis: *Ceterum omnes, me judice, superant eo in genere* (statum regionis politice delineandi) *Epistolæ Christophori Forstneri, quibus nec prudentius, nec disertius nec elegantius quicquam lucem vidit: quo magis doleas earum paucitatem.* Nec spernendæ sunt *Epistolæ Huberti Languetti*, quas splendido *Arcanorum Seculi decimi sexti* titulo evulgare placuit CL. Dn. Editori. Citra dubium tamen commodiori usui futuræ fuissent, si cum *summariis* prodiissent. Desiderant etiam nonnulli dilucidationem harum Epistolarum ex historia illius seculi depromptam, quo vera facta a consiliis in actum non deductis, sed in herba suffocatis (v.c. Concepten, Project &c.) eo melius discerni possent.

AD DISS. II. §. VII.

Scriptoribus de *Pace Publica* hic recensitis addi mere-

 tur

tur recentisfimus Autor, *P. C. Dattius* Tr. in fol. ejusdem rubricæ, ubi haud pauca circa hanc materiam ex Archivis & aliis Actibus publicis afferuntur, quæ inferviunt illuftrationi hiftoriæ, maxime fuperioris Germaniæ.

EAD. DISS. II. AD §. XXI.

Differitur contra communem opinionem ac fi per Inftrumentum Pacis Weftphalicæ Principibus Evangelicis regale tolerandi alterius religionis homines v. c. Socinianos, Mennoniftas &c. fit ademptum. Noftram explicationem in praxi fequuntur haud pauci Principum. Sic teftatur Dn. Brenneyfen *tr.* Vom Recht eines Fürsten in *Theologi*schen Streitigkeiten *pag.* 190. quod in Patria fua Oft-Frifia Mennoniftæ cultus fui divini exercitium liberum habeant. Herfordiæ in Weftphalia famofa Anna Maria a Schurman una cum fociis placita Joannis de Labadie fequentibus multum temporis quiete fubftitit. Glückftadii omnium religionum homines tolerari, tralatitium eft. Apud Arnoldum *P.* 3. Kirch- und Ketzer-*Hiftorie* invenitur Mandatum Cameræ penale contra turbantes & ejicere cupientes civitate hominem Theofophiam Bœhmianam fectantem &c. Unde fatis patet, Principes illos & Camerales non credere, adverfum effe Inftrumento Pacis, & in fpecie articulo VII. fi tales homines tolerentur.

EAD. DISS. II. §. XXVI.

Inquiritur, quatenus ex Jure civili decifiones in Jure publico formari posfint. Fuit hic communis fere nævus JCtorum usque ad tempora Myleri ab Ehrenbach, ut nullis aliis fubfidiis imbuti effent, quam notitia utriusque juris. Inde, judice fagacisfimo Furftenerio, nonnunquam de Publico aut Gentium jure mifera judicia audita fuere.

Mere-

Meretur vero integer ejusdem Discursus *p.37.38.39.* ut conferatur circa hanc rem. Abrahami de Vicquefort *Memoires touchant les Ambassadeurs & les Ministres publics P.2. C.7.p.969.* ita judicant de *Isaaco Volmaro*, Ministro Cæsareo ad Pacem Osnabrugensem, ut mirentur tam perfectum politicum ex ipso factum esse, licet more JCtorum Germanicorum studia sua in juventute instituisset.

AD DISS. III. §. IV.

Quia per errorem typographicum circa initium §. nonnulla verba omissa sunt, unde series historiæ turbatur, in hoc §. ab initio ita legendum est: *Tandem etiam Gothorum Regnum in Italia per Græcos sub Justiniano Imperatore ductu Bellisarii & Narsetis; & postea Græcorum Imperium per Longobardos a Narsete excitatos, in Italia eversum est. &c.*

AD DISS. III. §. IV.

Agitur ibi de Francis & eorum origine. Insigne vero & antiquum monumentum Regum stirpis Merovingicæ 1653. detectum est. Nam Leopoldo Archi-Duce Austriæ cum exercitu commorante in Belgio, quippe ejus Præfecto supremo, prope *Tornacum*, quod Scaldis interfluit, milites fodientes detexerunt *Childerici I.* tumulum una cum capulo, gladio, nummis, ornamentis mille annis antiquioribus. Ex quo judicatum fuit, Romanos Imperatores Franciæ Regibus dona dedisse hæc ornamenta, quo de finibus ipsorum excederent. Res igitur hæ Leopoldo Imperatori sunt oblatæ. Ab hoc precibus adeptus est Johannes Philippus Elector Moguntinus, prætendens quod tantum cymelium in Archivo Imperii custodire vellet. Verum simul ac illud acceperat, Regi Galliæ donavit. Quæ hodie Parisiis adhuc ostenduntur a Bibliothecariis Regiis. Vid. Chiffler. *Anastas. Childerici.*

EAD. DISS. AD §. VIII. SEQV.

Ex *his* §§. deducitur sequens porisma: *Falsum est IV. tantum extitisse a mundo condito Imperia summa, quæ vulgo Monarchiæ per excellentiam dicuntur, & ultimam harum Monarchiarum Romanam adhuc durare & duraturam esse usque ad consummationem seculi.* Item: *Accuratioribus in historia Germanica non sese probare potest illa sententia: Regnum Germanicum successit in locum veteris Monarchiæ Romanæ.* Videtur vero contraria opinio originem trahere ex communi, ast cum veritate historica haud conspirante, explicatione Colossi Danielis Prophetæ. Demonstravit dudum solide Conringius *in Exercitat. de Rep. Rom-Germ.* tum & *lib. de Germanorum Imper. Romano*, quod illa de quatuor Monarchiis opinio plus famæ habeat, quam veri. Perspexerat autem idem multis seculis ante illum *Porphyrius* philosophus. Meretur etiam legi Celeberr. Dn. Becmanni *Dissert. de IV. Monarch. annexa primæ Edit. Medit. Politic. & Paral. Polit.*

EAD. DISS. §. VIII.

Rejicitur Grotius asserens populum Romanum juste Carolum M. Imperatorem constituisse. Solide vero & judiciose hanc philosophiam Grotii destruit Huberus *de Jur. Civitat. L. 1. sect. 9. c. 7.* Capitalis error Grotii est, quod ille supponat, Populum Romanum hodie esse eundem, qui fuit olim, & Imperium penes eum mansisse, tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret. Verum hæc hypothesis cum politica & Historia minime conspirat.

EAD. DISS. III. §. XIX.

Breviter hic adducitur *Mediolanum* esse feudum Imperii nostri. Quia vero post Caroli II. Regis Hispaniæ mortem, ratione hujus Ducatus tum & aliorum Regnorum, res nunc

nunc ad bellum ſpectat inter Imperatorem & Philippum V. Regem Hiſpaniæ ab Imperatore hactenus non agnitum; hiſtoria ſucceſſionis in Ducatu Mediolanenſi plenius tradi meretur. Primus ex Vice-Comite Dux creatus eſt Mediolanenſis *Joannes Galeacius* auſpiciis Imperatoris Venceslai. Mortuo autem 1447. *Philippo Maria* Duce, lis ſuper ſucceſſione orta eſt inter *Carolum* Ducem Aurelianenſem Joannis Galeacii Nepotem ex filia Valentina; & *Franciscum Sfortiam* Blancæ, filiæ naturalis Philippi Mariæ, maritum. *Fridericus III.* Imperator utrumque indignum judicabat feudo iſto Imperii conſolidationemque ejusdem meditabatur. Prævenit vero ipſum Sfortia Ducatum Mediolanenſem armata manu occupando, poſtea per Legatos inveſtituram petens ab Imperatore. Verum denegabat hoc Fridericus, *Maximilianus I.* vero 40000. aureis placatus beneficii lege Ducatum Sfortiis reliquit. Interim ad ſolium Regium in Gallia pervenerat *Ludovicus XII.* Caroli Aurelianenſis F. Hic paternas prætenſiones ſtrenue aſſarens, Ducatum occupat, Sfortiam capit, & tranſigit cum Cæſare. Aſt cum *Julio II.* Pontifici (quo nullum bellicoſiorem ſedes iſta habuit) vicinitas iſta Galli haud arrideret, non deſtitit prius, quam Galli Mediolano eſſent pulſi, reſtituto in paternum Ducatum *Maximiliano*, Ludovici Sfortiæ F. Hic cum ſponte poſtea *Francisco I.* hunc Ducatum cederet, *Caroli V.* iram eo ipſo provocavit, qui & propterea *Franciscum Sfortiam*, Maximiliani fratrem juniorem de eo inveſtivit odio erga Gallos impulſus. Hoc vero 1535. absque prole defuncto, Ducatu illo inveſtivit Carolus V. *Philippum* F. poſtea Regem Hiſpaniæ, cujus deſcendentes poſſederunt usque ad Caroli II. mortem. conſ. Conring. *de fin. Imp. lib.2. cap.23.*

EAD.

EAD. DISS. III. §. ULT.

Fata *Livoniæ Borussiæque* sub *Magisterio Teutonico* exponuntur. Cum vero illa historia sua obscuritate haud careat, præter allegata monumenta, consuli meretur Dn. Henr. Leonh. Schurtzfleischii *Historia Ensiferorum & Ministrorum Livonorum*, hoc 1701. anno edita ac doctis annotationibus & tabulis publicis documentisque illustrata.

AD DISS. IV. §. XVIII.

Germaniæ assignatur forma quæ proxime accedit ad systema fœderatarum Rerumpublicarum. Postea deprehendi locum apud Conringium qui idem fere asserit. Verba ita se habent: *Germanici Imperii forte alia est ratio*, quod ad fœderatorum aliquod systema ultro vergit, *ubi Ducem fœderis simulacris Regiis vestitum eminere quidem dignitate & autoritate oportet, non autem multa imperandi potestate præesse.* Vid. *Addit. ad Lampad. p.271.* Rachelius item *in D ff. de Capit. §.12. sequ.* eleganter disserit de Capitulationibus ad formam Imperii facientibus, & tandem concludit, *Interesse Imperatoris ut perpetua concipiatur Capitulatio, nam ita regiminis Germanici rationem, quæ nunc obtineat*, & ad systema plurium fœderatarum Civitatum proxime accedat, *intendi amplius non posse &c.* Nec minus libera & cordata est expressio alicujus viri Cl. in suis Inst. J.P. *Esse Imperii Status supremos in suo territorio; communis autem* fœderis *nomine, ob salutem totius Germaniæ, Cæsarem & Imperium agnoscere, ac certis pactis se submisisse, adeoque vinculis teneri quibus compages Imperii continetur, h. e. legibus Publicis quæ ex consensu ipsorum constituta ac a Cæsare lata sint. &c.*

AD DISS. VII. §. IV.

Quanquam juxta ductum hujus §. omnes Status in Imperio

perio habeant superioritatem territorialem, tamen non omnes æque fruuntur plenis effectibus hujus superioritatis. Causam solerter indagasse videtur personatus Cæsarinus Furstnerius in eleg. tract. de Jure Suprematus & legationis Principum Imperii, distinguens inter *suprematum* & *superioritatem.* vid. *Cap. IX. & X.* Hujus capaces omnes sunt, qui votum & sessionem in Comitiis habeat. Ast ex indole genii humani, & in sensu politico, ac prout nunc facies rerum Europæ est, suprematus juribus non possunt gaudere, qui non functiones juris Gentium sustinent, extra fines Provinciarum exercitum deducunt, armis, fœderibus guarantiis & legationibus instructi apparent.

AD DISS. VII. §. *IX.*

Occasione status Episcoporum in primitiva Ecclesia Apostolica asserimus, quod tunc omnes Christiani *Clerici* sive electa sors, vocati sint, & eo tempore papistica distinctio in Clericos & Laicos nondum nata fuerit. Omissa vero est probatio assertionis hujus quæ *1. Petr. V. 3.* fundatur. Utinam autem hoc unicum vocabulum esset S. Scripturæ, quod contra mentem ejusdem in alium eumque anti-christianum sensum detorquetur! Meretur hic conferri Dn. Brenneysen in der ausführlichen Antwort auff L. G. ofzens Anmerckungen über daß Fürsten-Recht §. *24. seqv.*

AD EUND. §. *IX.*

Vindicatur hic *Arnoldus Brixianus*, tanquam testis veritatis contra asoticos mores Episcoporum sui temporis. Non mirum vero, quod ille eo tempore, ubi Anti-Christianismus totum mundum inundaverat, crematus sit; Nam

& jam seculo IV. *Aerius* Catalogo Hæreticorum insertus est, quod nollet differentiam admittere inter Episcopum & Presbyterum. Adeo nullus pudor Epiphanio, Philastrio, &, quod mirere, Augustino fuit, ob tam futiles causas infami hæreticorum convicio innocentes gravare.

AD DISSERT. VIII. §. III.

Archi-Ducalis Austriacæ Domus antiqua prosapia asseritur contra nonnullos Gallos contemptim de ea scribentes, quasi cum stirpe suorum Regum conferri nullatenus possit. His potest opponi (quod ibi omissum est) ipse *David Blondellus* acris alias *Chiffletii* antiquitatis Habspurgicæ propugnatoris adversarius. Hic quippe concedit in *Præfat. Apologet. ad Assert. Geneal. Franc. pag. 30.* posse originem Domus Habspurgicæ, vetustiori familiæ Austriacæ surrogatæ, inde ab anno 600. per interruptam seriem ad nostra tempora deduci. Quod & ulterius probat laudatus Chiffletius in *Stemmate Austriaco, Vindiciis Hispanicis, Luminibus prætensis.* conf. etiam Kulpis, *ad Monzamb. p. 220.*

AD DISS. VIII. §. III.

Rejiciuntur in *hoc §. in fin.* illi, qui primam originem Austriacorum ad *Perleonios*, inde ad *Anicios* & tandem *stirpem Juliam* referunt, utpote opinione destituuntur monumentis genuinis. Edidit Lambecius Bibliothecarius Academiæ Viennensis *Henricum Gundelfingium*, cujus autoritate nixus, hanc Genealogiam Austriacorum texuit. Verum hic scriptor duobus seculis recentior est Rudolpho Habspurgico Augusto, hinc ejus autoritas in tam obscura & vetustioribus annalibus silentio prætermissa re exigua est. Conf. Gvel-

etiam Dn. Schovvart. *in Observ. polit. genealogic. de Austria.*

AD DISS. VIII. §. XII.

In hoc observetur, quod Lineæ Ducum Brunsvvicensium pro lubitu sint recensitæ. Alias ratione præcedentiæ Gvelferbytana præferenda est, utpote antiquior. Ad hanc etiam pertinere Prælaturam *Valkenrudensem.* Hinc in textu p. 150. lin. prima verba ita corrigenda sunt: *Non vero pertinet &c.* Eodem §. *Nienburgum* etiam inter munimenta est recensitum, quod tamen de temporibus pristinis magis intelligendum est, quam præsentibus.

AD DISS. VIII. §. XXV.

Recensentur hic Principes a Leopoldo Imp. hodierno creati. His addi possunt (1) *Eugenius Alexander* Comes *de Taxis* 1686. Princeps creatus. (2) *Eleonora Desmiers*, Fil. Alexandri D'Olbreuse, Conjux Georgii Wilhelmi, Ducis Brunsvv. Cellensis. (3) *Susanna Elisabetha Kempinsky*, Conjux Alberti Ducis Saxo-Coburgici 1688. (4) *Christina Wilhelmina de Bunau*, Conjux Joannis Adolphi, Ducis Sax. in Weissenfels. vid. *Vitriar. Illustr. p. 185.*

AD DISS. XII. §. XXII.

Breviter res eo redit. Reformatio vera Ecclesiastica etiam reformationem Politicam genuinam parit. Quid vero hic sperandum sit, malo verbis Huberi, quæ multa in recessu habent, exprimere. Ita vero ille *de Jur. Civitat. Lib. 3. sect. 3. c. 4.* §. 25. inquit: *De Reformatione Ecclesiæ satius esse pu ainus tacere, quam pauca dicere, præsertim quia nonnihil ea de re pridem a nobis occupatum est in ultimis capitibus singula-*

rum fere sectionum Historiæ Civilis, nominatim capite ultimo sectionis ab anno 1422. ad an. 1519. ubi sub finem non alieni fuimus ab illorum sententia, qui videntes, multitudinem Protestantium per Reformationem superiori seculo perpetratam nihilo, vel paulo sanctiorem esse factam, *credunt*, illam melioris secuturæ esse præparatoriam; *qua desiccatis in antecessum veritatibus sacris, vis major Spiritus Sancti an mos subeat ac impleat veræ devotionis erga Deum & Christum, cujus nomen & res adhuc in Reformatione seculi nostri ita non elucet, ut inexplicata vis prædicati per orbem terrarum Evangelii in simplicitate, puritate, veritate sua, postulare videbatur.* Multa ad illustrationem ingenuæ hujus confessionis de Reformationis & revelationis majoris spe, addi possent, signis temporum nostrorum convenientia; si brevitas instituti pateretur, & non cæcitas illorum, qui *Statum Ecclesiæ præsentem pro florentissimo* venditant, manibus fere palpari possent.

DISS. XII. §. XVII.

Quæ de priorum temporum infelicitate ob *controversias Religionis* adducta sunt, illa egregie illustrantur *Dissertatione XXIII.* tractatus *de Ratione Status* illustris Dn. Cancellarii de Jehna. Meretur sane illa ut cum studio perlegatur a Laicis, sed potissimum a Clericis. Vivis enim coloribus cacoethes illud & pruritus condemnandi dissentientes ibi depingitur. Pauca communicabimus. Postquam *Concl. IV.* ex principiis novi testamenti amorem, mansvetudinem, concordiam ex Joh. XIII. 34. 1. Cor. I. 10. ad Philipp. II. 2. 2. ad Thimoth. II. 14. graviter commendasset, *Concl. V.* ita pergit illustris Autor: *Sed an observantur Domini nostri & ejusdem nuntiorum monita, regulæ, mandata? Animadvertitur decenter*

center secundum ea? An concordiæ, dilectioni, fraternæ charitati, paci, illi præcipue student, qui aliis exemplo esse debebant, & quibus ea & verbo & factis serio docere convenit? Respondet sibi verbis Lansii *in Consult. de Princip. inter Provinc. Europ. Orat. 2.* ita sese habentibus: *Cui incognita sunt polemicæ hodiernæ Theologiæ studia? odia plus quam Vatiniana? æstus factionum implacabiles? Geritur bellum ut inter hostes non ut inter Adversarios disceptatur. Et nullam furiosi quidam Theologi pietatem probant, nisi pulvere pyrio conditam & gnaviter crudelem impudentemq. Ignoscant mihi, rogo, Theologi, etiam qui nostrarum partium, quas omnes omni culpa liberare non possum, ignoscant aut magis agnoscant quæ nunc dicam. Ut rabulæ quidam & latratores inter JCtos sunt, homines clamosi, turbulenti, & quibus omne cerebrum in lingua est; sic inter Theologos reperire est aliquos, qui caninam facundiam exercent, & nocent potius quam docent; incurrunt, perdunt dissipant; mali discipuli illius, qui omnia factus est omnibus, ut servaret omnes; calumniam pro charitate usurpant, dentem pro lingua, & toti in eo, ut litem ex lite serant, ne coeat unquam & conspiret Christianum hoc corpus, iidem, quod mirere, in re sua accusatores, judices, testes. &c.* Hæc speciminis loco ex allegata dissertatione adducere placuit, ut salivam moveamus lectoribus reliquas *conclusiones* nimirum *VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.* evolvendi & cum temporum præsentium statu conferendi. Nam in plerisque locis proh dolor! eadem fabula vel potius tragædia luditur, mutatis duntaxat personis. Virulenta & venenata scripta, quibus omnia Bibliopolia ad nauseam abundant, affatim testantur de miseria hac Ecclesiæ Evangelicæ. Hinc eo magis laudanda & grates persolvendæ sunt misericordiæ divinæ, quod hodie nonnullis piis

 Theo-

Theologis & Laicis oculi aperti ſint lupinam illam perverſitatem ſub pelle ovina incedentem detegendi & abominandi, ceu adductum hoc jam eſt in §. *XXVI. Differt. ultimæ.*

* * *

Quas hic ſententias & opiniones B. Lector teſtimoniis aliorum Virorum celebrium confirmatas deprehendit, non ita interpretabitur, ac ſi autoritatibus magnorum Virorum pugnare vellem. Hoc enim ſcopo, quem mihi propoſui, plane eſſet adverſum. Scio enim *Rempublicam literariam* eſſe liberrimam, & quod illa non agnoſcat capita aut rectores Viros autoritate pollentes, ſed ſanam rationem. Omnes in hac ſunt æquales cujuscunque conditionis, ſtatus & ætatis ſunt. Gaudere debent omnes in negotiis quæ hanc attinent, paribus votis. Quæ & hic non poſſunt numerari, ſed debent ponderari ſecundam menſuram ſane rationis. Scio hæc & deduxi latius *in Programm. Lectionum ſuperiori anno habitar.* Ergo peccarem in propria tradita, ſi aſſertiones Juris publici vellem fundamento alienæ autoritatis ſuperſtruere. Alia fuit cauſa quæ me impulit de teſtimoniis & conſenſu virorum celebrium ſollicitum eſſe. Plerique adhuc præjudicio autoritatis humanæ abripiuntur, ut falſitatem communium ſententiarum ſæpius nec poſſint, nec velint perſpicere. Hiſce veritas omnium commodiſſime perſvadetur, ſi viros aliquos celebres idem ſenſiſſe deprehendant. Horum igitur captui ſe accommodare eſt prudentem Medicum imitari, qui ſæpius ægroti palato corrupto accommodat ſuam medicinam.

Er-

Errata typographica ob causam in præfatione traditam copiose satis occurrentia quin B. L. sit condonaturus, nullus dubito. Interim tamen quia nonnulla sensum turbare apta deprehendi, illa hic notare volui, reliqua, ut & transpositiones aliquot Commatum, legentium favori relinquo corrigenda.

Pag. 13. pro *in Discurs. ad Liv.* leg. in Discurs. de Republ. P. 13. pro *Memoires, paur servir.* leg. Memoires pour servir. P. 20. *Saxonica Evangelica.* leg. Saxonia Evangelica. P. 23. pro *quæ veteris* leg. quæ ex veteris. P. 32. pro *Julichbio* leg. *Gulichio.* P. 42. pro *quarelas* leg. querelas. P. 49. pro *extat Consultum.* leg. extat Senatus Consultum. P. 52. pro *bella civilia nata* leg. bella civilia nata maxime post patris mortem. P. 60. pro *Gvicciardinu* leg. Gvicciardinum. P. 61. pro *Thomas* leg. Christ. Matthæus. *Ibid.* pro *Metzereum* leg. *Metzeræum.* Pag. 63. pro *hoc Domo* leg. hac Domo. P. 68. pro *Leges* leg. Reges. P. 70. pro *Forcheimlensibus* leg. Forcheimensibus. P. 71. pro *idoneam* leg. idoneum. P. 73. pro *Capitulo* leg. Capitulatione. P. 80. pro *Amphyctbionum* leg. Amphictyonum. *Ibid.* pro *Acheorum* leg. Achæorum. P. 84. pro *XIIX. Febr.* leg. XIIX. Januarii. P. 87. pro *Svevi* leg. Sveci. P. 88. pro *Reservanta,* leg. Reservata. P. 89. pro *Descedit* leg. descendit. P. 91. pro *Respublicam* leg. Respublica. P. 125. pro *Monachdarum* leg. Monachorum. P. 132. pro *jugalum* leg. jugulum. P. 135. pro *Ordo Joannitius* leg. Ordo Joanniticus. P. 134. pro *a primo periodo* leg. a prima periodo, P. 180. pro *Habebaant* leg. Habebant. P. 225. pro *Ethnicis* leg. Ethicis.

[illegible]



DISSERTATIO I.
DE
NATURA ET ADMINICULIS JURIS PUBLICI.

CONSPECTUS.



Ulpisii epistola de Scriptoribus Jur. Publici, & quid in ea desideretur. §. 1.
An Publicistæ officium requirat semper magnifice loqui de Republica sua? §. 2.
Nævus Publicistarum qui indolem & naturam Juris publici non inquisiverunt. §. 3.
Ortus & incrementa Juris publici in Germania. §. 4.
Quare jus publicum in sola Germania doceatur fere solum & non in aliis Regnis. §. 5.
Quid jus publicum sit, & quare non esset Jus publicum Hispanicum, Gallicum, Svecicum &c. §. 6.
Quid sit Jus Publicum Gentium sive Universale. §. 7.
Nævi plerorumque Publicistarum *nullis notitiis Jurispublici Universalis imbutorum, & acris censura Mozambani.* §. 8.
Differentia inter Jus Publicum Universale & Politicam; confusio utriusque notatur. §. 9.
Fines inter Jus Naturæ, Jus publicum Universale & Politicam. §. 10.
Sine notitia accurata Juris publici Universalis, particulare incommode explicatur. §. 11.
Mutationes Juris Publici Germanici. §. 12.
Vera origo Juris publici Germanici. §. 13.
Ratio Status à Jurisprudentia publica inseparabilis. § 14.

§. I.



DE Jure Publico Varii varia scripserunt, fatis temporum, tum & ingenii judiciique viribus distingvendi. Interim manet unicuivis sua laus, suus honor, si non semper exacti judicii, industriæ tamen laborisve huic operæ impensi, sæpius ex intentione conatusve bene merendi de publica re, studio quam e[...]ici eventu æstimandi: Recensuit plerosq; Publicistas ac secundum classes materiarum disposuit. Dissertatio satis elegans de Scriptoribus Juris Publici, Vitriarii *Institutionibus Jur. publ.* annexa. Plenius vero executius hoc est, qui sub nomine *Sulpitii* latere voluit solide doctus Kulpisius in eleg. *Epistola de Scriptoribus Juris Publ.* qui, licet nomen suum dissimulaverit, haud dubie ut liberius & citra invidiam nævos Publicistarum, qvos vocant, detegeret; attamen peritiores dolent, multa ipsum, quæ dicenda fuissent, studio præteriisse, dum in laudem quam genuinam

&

&veramcenſuram proclivior apparet, forſan ne importunos inſulſorum hominum clamores in ſe irritaret, uti de pari intentione *Conringianorum Scriptorum*, tecte annotat ſagaciſſimus *Monzambano* ſive B. Dn. de Pufendorff in *Epiſtola* eleganti libello *de Statu Imperii Germanici* præfixa *pag. 15.* Ad brevia hinc capita nævos Publiciſtarum revocat Dn. Titius *Specim. Jur. Publ. Lib. 1 c. 1. §. 45.* quando exiſtimat, quosdam ſcriptores deſtituere judicium, alios neceſſaria adminicula, ac imprimis ſolidiorem principiorum politicorum notitiam, quorundam doctrinam præjudicia Juris Romani, aut partium ſtudia corrumpere, in multis deeſſe uſum & experientiam, denique multa ad ſolidam cognitionem pertinentia conſulto diſſimulari.

§. 2. Aſt, an ex publico, velut errore, diſſimulari debeant; animi pendeo. Nam ſi ea eſt mens horum verborum multa diſſimulari debere, quia officium boni civis ſit, ſemper magnifice ſentire de forma ſuæ Reipubl. qualiſcunque etiam ſit, eumque in finem multa eſſe diſſimulanda, tunc dubitare liceat. Agnoſco enim hic philoſophiam moderationis ac prudentiæ ſpecie, primo intuitu quidem abblandientem, revero inanem, cum peccetur tali ratione contra regulas inquirendæ veritatis. Nec enim conſiſtit officium boni Civis in falſa ratiocinatione, ſed in patiente tolerantia malorum communium. conf. Dn. Thomaſ. *in Præf. ad Monzamb. n. 21 & Jurispr. Divin. lib. 3. c. 6.* Sic illud Bœcleri *notit. Rom. Imp. lib. 22. c. 2. p. 252. quod in omni bene conſtituta Republ. de forma & ſtatu Reipubl. nemini ſcriptorum juris publici licere debeat aliter loqui, quam leges publicæ loquuntur & decernunt?* reliquis *præjudiciis Bœclerianis*, (de quibus nunc tutius differere licet, quam tempore *Saromaſianarum Relationum*) annumerandum eſt. Par judicium de Scriptoribus plerisque Juris Publici deprehendes in [illegible]o laudata Pufendorffii *Epiſtolica Præfat. de Stat. Reip. Germ.* niſi quod jam ille genio ſuo indulgens & ſub ficta Itali larva latens, ſatyrico ſale judicia de Publiciſtis & in ſpecie eorumque Principe (minime meo, ſed Pacifici à Lap. *ad Monzamb. p. 4.* elogio) Limnæo, condat.

§. 3. Neſcio vero annon inter nævos Publiciſtarum nonnullorum connumerari mereatur, quod in ſuis ſive Syſtematibus, ſive Compendiis, tam parcam operam impenderint in inquirendo, quæ-

quænam sit vera indoles Jurisprudentiæ nostræ publicæ Germanicæ, quomodo differat à *Jure publico Universali*, qui fines *inter Politicam, Rationem Status &c.* & jus publicum nostrum, denique quibus *adminiculis* nobilis hæc disciplina illustrior splendidiorve reddi possit. Facit enim huc apprime ad clarum distinctumque conceptum, fine quo nulla scientia aut prudentia datur, formandum, neque existimandum est, hic nos officio functos esse, si ad scholarum genium accommodata formula, Jus publicum *formale*, quatenus habitum denotat interpretandi & applicandi leges publicas; Distinguere valeamus à Jure publico *materiali* h. e. ipso complexu sive congerie legum publicarum. Nam hæc exteriora lambere, est, pultem vero non attingere, cum natura ac indoles Juris publici incognita relinquantur longeque plura ad isthanc rem requiri eleganter dudum commonstrarunt duumviri isti summi, Ericus Mauritius & Samuel Rachelius. Iste, *in specim. de Princ. Jur. Publ.* Hic in *otio suo Noviomagensi*, propterea ita vocato, quod Rachelius legatus Ducis Holsatiæ ad pacem Noviomagensem, *introductionem hanc juris publici*, ibidem horis subcisivis conficeret. Pro instituti ratione igitur pauca eaque selectiora afferamus.

§. 4. Nihil celebrius esse juris publici doctrina per *Germaniam*, ubi non desint egregia scripta hominum maximorum de hac Arte luci data, quæ & in Academiis ubique non minori studio, quam juris privati disciplina excolatur, omnibusque exercitiis in reliquis doctrinæ partibus usitatis frequentetur, decus Frisiæ occidentalis, Ulricus Huberus *in Auspic. Domest. Orat. III. p. 131.* ex vero asserit. Nihilominus fuit quondam tempus sub Papatu, ubi studium Juris publici, uti reliqua mortuum & extinctum fere jacebat in Germania & jacuissent forsan ad nostra usque tempora, nisi incidisset divinis auspiciis Reformationis periodus, ut adeo Principes, nostri jurium suorum vindicationem & protractionem in lucem inter alia etiam debeant primis Reformatoribus in Germania & Helvetia. Ex eo tempore non paribus quidem passibus semper crevit notitia Juris publici, usque dum a *Lehmanno*, quem secutus est *Conringius*, aliique, vera facies juris publici, absterso peregrino fuco, ex monumentis & annalibus patriis adum-

adumbrata fuit. vid. Conring. *in Epist. ad Dn. Comitem de Windischgrätz præfixa Exercitionibus de Republ. Imperii Germanici.*

§. 5. Vicissim mirari subit cum eodem illustri JCto quamobrem id ita factum sit, ut ex omnibus hodierni Mundi Imperiis doctrina juris publici apud solos Germanos in artem disciplinæ magnam & notabilem evaserit; cum alibi Gentium nihil imprimis hujus generis, quam satis tenues Rerumpublicarum descriptiones ordinumque historiæ reperiantur. Causa hujus rei non potest fugere illum qui statum Germaniæ quo ad modum regendi formamque Reipublicæ, cum ceteris regnis paulo penitius conferat. Quia enim in Germania nec Monarchia, vel Aristocratia est, sed πολυκοιρανίη (ut cum Hubero loqvamur) hinc nullius Principis verecundia vel intercessione retardati sunt scriptores, quin potius incitati, ad omnia imperandi arcana, quæ ad summam Imperii pertinent, aperto velo, publicandam, quod alibi suspicaces regnantium animos offendere posset, nec forte, sine pœna foret. Igitur quo laxior imperandi vis inter illum qui caput repræsentat in Civitate & ejusdem, & ordines; eo amplior etiam materia diversa utriusque jura & mutuam necessariamque renitentiam hoc casu delineandi. Vicissim ubi vis imperii penes unum in individuo aut penes collegium sive Optimatum, in Aristocratia, sive populi, in Democratia, sola & tota est; ibi de Jure publico in sensu speciali altum silentium. Quemadmodum hac de causa, ut bene annotat laudatus Huberus, de Peculiaribus singulorum Principum Germaniæ regimentis, sive *jure publico specialissimo*, singulorum Imperii Statuum territoria concernente, vid. Rachel. *Ot. Noviomag c. 13.* Conring. *ad Lampad. lib. 2. p. 56.* non minus infrequentes parcique nostrates sunt, quam Galli aut Hispani aliorumque scriptores populorum esse consveverunt.

§. 6. Igitur *Jus publicum speciale* nil aliud est, quam prudentia legum publicarum, quibus jura inter diversos ordines ad regendam hanc vel illam Rempubl. concurrentes, definiuntur. Et sic in specie notitia Juris publici Germanici definiri poterit, per habitum mentis aut (si magis placet philosophia Stagiritæ) prudentiam, leges publicas Germanicas, resque iis connexas recte intelligendi ad comparandam justitiam & conservandam Reipublicæ

Germanicæ tranquillitatem. Titius *J.P. lib. 1.c.1.§. 5.* Unde porro fluit, tot Jura publica ſpecialia conſtitui poſſe, quot dantur Respublicæ, ubi ſumma rerum eſt penes diverſos. Hinc non eſt mirum, non extare Jus publicum Gallicum, Svecicum, Hiſpanicum, Danicum &c. Nam in hiſce regnis ordines ad ſummam reipubl. nullatenus concurrant, aut aliquid participant de ſupremo axiomate Imperii. Viciſſim ratio in numerato eſt, cur *Jus publicum Regni Poloniæ* Regiomonti 1684. ſecunda vice ediderit Dn. de Chwalkowsky. Respublica enim Poloniæ non uti cetera regna regitur, ſed ordines in conſortium jurium nonnullorum ſupremorum admittuntur, ceu illa fundamenta juris publici Polonici eleganter explicat B. Eric. Maurit. *de Princ. Jur publ.c.2. §.6.* Nec diffiteor hoc ſenſu, de *Galliæ Jurepublico*, potuiſſe ſcribi, nimirum temporibus antiquioribus ante Ludovicum XI. Atque huc pertinent Hottomanni *Franco-Gallia*, & Claudi Seſelli Epiſc. Maſſilienſ. *lib. de Republ. Gall.* Ante enim Ludovicum XI. Ducum & Parium Franciæ libertas. Germanorum Principum ſorti fere comparari poterat. conf. Pufendorf. *Introd. Hiſt. Cap. de Galliæ.* Hinc quando Dn. Vitriarius *Inſt. Jur. Publ Proem. n 6 ſeq.* de Jure Publico *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Sveciæ*, &c. tradit, exaudiendus eſt de antiquo illorum Regnorum ſtatu, de hodierno enim non procederet. Sic meminit Limnæus *tom. 4. add. cap. 2. n 1.* ex *Mercurio Gallico tom. 12.* prohibuiſſe Ludovicum XIII. in Gallia de poteſtate Regum Galliæ quicquam vel in affirmativam aut negativam partem ſcribere ſine permiſſione Regis.

§. 7. Unde porro facile dijudicare eſt, quomodo differat *Jus Publicum Gentium*, ſive *univerſale*; quippe quod docet, quid in quaque Civitate juris inter ordines unius ejusdemq; Reip. generaliter obtineat. quid imperantibus, quid ſubjectis, mediisve Magiſtratibus inter ſe tribuendum, quid pace belloque ſit obſervandum. conf. Dn. Ulric. Huber. *de Jure Civitat. lib I Sect. I. cap. 1. §. 10.* Dn. Schilt. *Diſſ. de Nat. & Orig. Jur. Publ. §. 2.* Optandum vero fuiſſet, ut hanc diſtinctionem Juris Publici Univerſalis & Particularis, non omiſiſſent Publiciſtæ plerique. Uti enim judicioſe annotat meritis & dignitate illuſtris Huberus, ſine clariore conceptu Juris Gentium Publici univerſalis, neque Romanum, neque Germa-

manorum, aut ullius Populi proprium jus publicum, solide collocari vel comprehendi potest, Breviter: Jus publicum universale docet, qvid in regimine civitatum omnium ex voluntate Populorum, vi Juris Naturalis fas & rectum sit, cujus præcepta proinde disputationesque omnibus & singulis civitatibus possunt applicari, & cui judicium de Particularibus Gentium Institutis regimentisque ineſt.

§. 8. Si hanc artem tradere, aut potius prius antea discere non neglexissent nostratium plerique, haud opus fuisset acri censura Monzambani *in Præf. nibil in Limnæo* (hunc enim citra dubium indigitat, & hujus farinæ scriptores,) *deprehendi, quam exterioris Imperii Germanici faciei delineationem, ostensa ubique febriculosa juris civilis notitia, vix vero quid ibidem occurrere, quod vel mediocrem Polítices solidioris cognitionem saperet. Uti vero illud: annotasse mediocris diligentiæ & nullius ingenii sit; Sic asinos ad Lyram jure ditendos esse, qui ad tam irregularis Reip. structuram explicandam in publicum provocant, Historiæ Patriæ scientiæque Civilis rudissimi.* Intelligit nimirum prudentissimus scriptor, per *scientiam Civilem & Politicam solidiorem*, non Politicam Aristotelicam, & quæstiones vulgares, & otiosas ibi tractari solitas, sed *nexum imperantium* & parentium in singulis rebuspublicis (Jus Publicum Universale) & notitiam humani generis, ejus affectuum, naturæ negotiorum humanorum &c. vid. Dn. Thomas *in not. ad h. l.* Caussam neglectus nobilissimæ hujus disciplinæ & olim, & bonam partem, hodie, si desideras exſagacissimi Cæsarini Fursteneri, *de Supremaru Princip. German. pag. 39. seqq.* Discursu potest illustrari. Res eo redit. Scilicet eruditio plerumque ad splendorem Scholasticum dirigitur, non ad usum. Quæ paululum a Romanis Græcisque formulis abeunt, vix audemus nominare. Et malumus lectionis variæ documentum dare, quam experientiæ aut judicii. Tradita Aristotelis de formis politicis Rerumpublicarum, aut alterius ex Veterum classe, frequentantur, quia ob situm antiquitatis pulchra creduntur. De illis vero quæ magis in vita Civili profutura, quam in dicendo docta videntur communi æstimatione, altum silentium. Quid mirum igitur, politi seculi genium existimare, eruditorum vitio factum esse, ut hodie plus pene prudentiæ, & sic etiam utilitatis hauriatur ex libris

libris vernaculo variarum gentium sermone a mediocribus autoribus conscriptis, quam ex spisſis Theatris vitæ humanæ, ſive Beyerlingii, ſive Zwingeri ſit.

§. 9. Ceterum confuſæ eruditionis ſpecimen haud leve hic nobis editurus eſſet, qui objiceret; Jus publicum Univerſale coincidere cum Politica, & ſic peculiarem conſtituere diſciplinam, nullatenus cum jure publico ſpeciali Germaniæ aut alius Civitatis confundendam. Quod aſſertum, ne opinionem veritatis ſibi apud imperitos conciliet, obſervandum duco, quod licet jus publicum hoc jam traditum pari paſſu cum politica diſciplina videatur; nihilominus haud exiguum diſcrimen inter has diſciplinas ſit. Politices enim eſt, actiones publicas dirigere caute ad felicitatem civilem adeoque docere quæ ex uſu ſunt. Jurispublici noſtri, ut facultas ejus, quod ſingulis in Republ ordinibus competit, recte tribuatur, & juſtitia inde reſultans in omni regimine civitatis cuſtodiatur. Huberus *cit. loc.* Hinc jus publicum univerſale a Politica ſejunctum, jura regnandi parendique in una civitate, ſeorſim ab eo quod expedit, docet.

§. 10. Ex non perſpecta aut obſervata differentia, & quod Jus publicum Gentium Univerſale, non ut ars propria diſciplinaque ſeparata conſiderata fuit, irrepſit confuſio in libellos quicquid eſt politicorum hujus ſeculi, ſi a Lipſio receſſeris. Incomparabilis Hugo Grotius in æterno opere de *Jure Belli & Pacis* primus fere viam paravit, ad artem juris publici a Politica ſeparandam. *Temperandum eſſe*, inquit in *fin. Prolegom. de Jur. B. & P. ab his quæ alterius ſunt tractationis, ut quæ docent, quid ex uſu ſit, facere: quia iſta artem ſuam habent ſpecialem politicam, quam recte ita ſolam tractat Ariſtoteles, ut alieni niladmiſceat, contra quam fecit Bodinus, apud quem hæc ars* (Politica) *cum juris noſtri arte confunditur.* Nec tantum Bodinus hujus confuſionis reus eſt, ſed *Althuſius, Beſoldus, Arniſaus*, & quicunque in hoc ſtadio palmam quæſiverunt. conf. Huber. in *Auſpic. Domeſt. Orat. 3. p. 155.* Interim de Grotio illud adhuc annotandum venit, quod viam quidem commonſtraverit, ad artem Jurispublici a Politica ſeparandi, ſed non ſeparavit, cum aliam ſcopo intentus fuerit. Nimirum commentatur in lib. de Jur. B. & P. de jure quod inter diverſas civitates, nec invicem nec uni ſubjectas

ctas Imperio intercedit, sive, ut ipse exprimit, *quae nulla juris civilis tenet communio, quales sunt & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter se diversarum sunt gentium, tum privati, tum Reges ipsi, & qui par Regibus jus obtinent:* Verbo: Grotii opus spectat ad jus Societatis maximæ gentium qua talium. E contrario jus publicum universale tradit, quid in regimine cujusque Civitatis fas & rectum. *vid.* §. 8. Traduntur quidem de hac re quædam, ob confusionem jam indigitatam, in vulgaribus Politicorum libellis, sed minus plene valideque tractari solita fuerunt. Hinc opus hoc aggressus, industria & judicio ei felicissime conficiendo par Jctus, Ulricus Huberus *in libris tribus de jure Civitatis*, in quibus, abstrahendo à Politica, tam plene, copiose & solide inquirit in naturam & indolem omnium Civitatum cujuscunque formæ sint, & sic *Jus publicum universale*, (uti ipse de hac sua intentione testatur *alleg. Orat.* 3. *pag* 137.) sive Officia Principum erga subditos & viceversa delineat, ut merito commendari præ omnibus mereatur, nec notis ille indigere videatur, sed lectoribus nimio gustu antiquitatis & præjudiciis inveteratis non nimium aut,(si fieri potest,) plane non, imbutis.

§. 11. Cognitio igitur hujus Juris Publici Gentium universalis instar fundamenti præsupponenda in acquirenda solidiori notitia Juris Publici Particularis,& in specie, Imperii Germanici. Rachel. *Introd. ad. Jus Publ. cap.* 2. Nam cum præter illa universalia & omnibus Civitatibus communia, dentur quædam regulæ juris & monita prudentiæ, quæ civitas quælibet ex arbitrio & indole sua constituit, inde jus publicum speciale hujus vel illius Reipublicæ exsurgit. Hinc in specie jus publicum nobis est ea jurisprudentiæ species, quæ jura ac statum regni & imperii Germanici secundum leges & consvetudines fundamentales docet. Dn. Schilt. *all. Diss.* §. 3. Jus Naturæ vero, uti est principium juris publici universalis; ita etiam Germanici. Ut enim aliquis sit ordo Civitatis, per quem Imperium, consilium & judicium & forte alia recte constituantur, a Jure Naturali est. Qua vero forma, quo modo, ex quibus

personis constituatur, humani consilii & arbitrii est. Talis ordo, qui etiam in Imperio Germanico cernitur, juri Naturali ceu fundamento innititur. add. B. Dn. de Pufendorff. *de Jur. Nat. & Gent. lib. VII. per totum.*

§. 12. Ast multæ & variæ determinationes juris publici positivi accesserunt, toties mutatæ & mutabiles, quoties status ejus publicus fuit mutatus, aut posthac mutabitur. Etsi enim opera danda sit iis, qui præsunt Reipublicæ, ne legibus facile aut temere aliqua mutatio accidat: Si quis tamen existimet, iis ita pertinaciter inhærendum esse, ne ullo tempore quicquam in iis mutetur, in hoc studio hospes erit, judice Rachelio *Otio Noviomag. c. 4. p. 2. ed. Amstelod.* Nam mutato statu Reip. non potest non mutari ejus jus publicum, quatenus est arbitrarium: ut vero Status quandoque mutetur, saltem in partibus, non modo impediri non potest, prævalente temporum necessitate, sed nec debet, quia aliquando, quod hactenus publice utile fuit, desiit esse tale, summe noxium futurum sit, si priscis vestigiis præfracte insistere velis.

§. 13. Atque sic commode dilabimur ad genuinam eamque interiorem notitiam Imperii Germanici, si origines Juris publici nostri a Francis Carolingis repetantur, ac in monumentis patriis perquirantur, indeque regiminis recepti ac continuati, mutatique etiam ratio deducatur per secula singula, in subsidium vocata solidioris politices ac civilis prudentiæ exactiore notitia, vid. Delibat. *Jur. Publ.* §. 1 & Diss. *de Mutat. A Bulla.* §. 13. Quam difficilis alias sit interior Reip. notitia, eleganti Dissertatione complexus est Bœclerus, quæ extat inter *Disput. ipsius Jur. Publ* Recte igitur idem summus vir in *Notit. S. Rom. Imp. L. 1. c. 1. §. ult.* per notitiam Imperii intelligit *eruditam* sive quod proprius huc facit *Politicam*, quæ scil. non est cujusvis hominis, sed eorum qui Reipublicæ constituendæ & tractandæ intellectum habent. Hinc ille demum mensuram veri Publicistæ adimplet, non qui simpliciter leges de statu publico scit, hoc enim & Historici esse poterit, sed qui habitum interpretandi leges & consvetudines Imperii possidet, ut de iis judi-

judicare, easve emendare, vel novas condere, item secundum eas dijudicare causas & controversias publicas, ac denique secundum easdem, atque e Republica consilia dare norit. Dn. Schilt. *Diss. de Orig. J. P.* §. 3. Itaque etsi jus h. e. leges & consvetudines statum Imperii nostri publicum concernentes, theorice explicari possint & monita quoque prudentiæ seorsim; in usu tamen & applicatione juris, neutra quæstio ab altera avelli debet, nec jus a prudentia.

§. 14. Hinc *Ratio Status*, quam vocant, sororio vinculo cum jurisprudentia publica alligata est. Equidem Rationis Status nomen & rem toto die occurrere videas, sed quid per illam proprie indigitetur, apud plerosque anxie ventilatur. Enimvero cum vera & genuina politica suis finibus considerata, ostendat quid generatim ex usu sit regiminis; & quid conducat statui publico, ita hujus matris filia Ratio Status, ab Italis & Gallis primum ita cognominata, subministrat, quoties ex duobus malis minus eligitur ad tuendum statum publicum. Eoque sensu famosiori, & ut videtur, ex prima genuinaque intentione illorum, qui fœtum hunc protraxerunt in lucem, prudentia mixta. extraordinaria, exorbitans, *les coupes d' etat*, vocari posset. Neque existimandum est, solos Italos aut Gallos hujus Rationis status parentes esse, nam nec Veteres, & inter illos Aristides, justissimus licet Græcorum, aliud voluit, quando dixit apud Plutarch. *in ejus vit* Rempublicam multa egere injustitia. Nec Lipsius *4. pol. c. 14* consilia *ab honesto leviter de via*, hoc casu temere damnaverit, a multis propterea vapulans.

§. 15. Verum eo ipso nullatenus excusare, aut, ut adminiculum Jurisprudentiæ publicæ, commendare animus est, illam Rationem status quæ flagitia dominationis in se continet, & *Machiavellistica* vocari solet, a famoso *Nicolao Machiavello*, Secretario Reip. Florentinæ, quem vulgo pro inventore horum arcanorum Dominationis venditant, hinc egregii heroes sibi videntur, si in classe Atheorum vel Epicureorum miserum Machiavellum, non sine execratione, primo loco posuerint. Crederes Herculis sacra apud Lindum fieri, quæ pro violatis habe-

habebantur, si quando inter solennes ritus, vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Lactant. *1. Divin. Inst. 21.* Inscitiam in historicis vero produnt, qui existimant Machiavellistica consilia ante Machiavellum non fuisse & regnasse in aulis. Unus Tacitus in vita Tiberii plus aperuit malarum artium, quam decem Machiavelli: Inquis. Sed tamen Machiavellus, *Principem suum* instruit, pejerare, fidem fallere, virtutem simulare, sacra & profana susque deque habere, modo regnet &c. Ita est. Sed quid inde? annon potuerit scribere, non quid fieri debeat, sed quid vulgo fiat. Quid si dicam, ipsum ad leges subtilis Satyræ tyrannum *in libro suo de Principe*, depingere voluisse, sub Schemate *Cæsaris Borgiæ* Alexandri VI. Papæ Nothi, & Ducis Valentini, Tyranni Italiæ insignis. Nam si Xenophonti licuit sub persona Cyri exemplar perfecti Principis posteritati relinquere, cur non citra notam impietatis, tyrannum in certi Principis persona adumbrare. Certe Machiavellum non fuisse tam profligatæ impietatis, uti vulgus existimat, reliqui ejus libri passim indicant. In *Discurs. ad Liv. 10. Disp. 12.* Serio deplorat religionis Christianæ corruptionem, quæ tam procul a prima institutione abierit. *3. Disput. 1.* vehementer invehitur in corruptos Cleri mores, & commendat humilitatem Christianorum proprium decus. *2. Disput. 29.* acriter reprehendit homines qui de Republ. aut regno scribentes tyrannidem informant. *3. Disp.* 4. damnat detestabilem fraudis usum, & speciatim eam fraudem, quæ fit pacta negligendo. Addo & illud: Innocentium Gentilettum, qui *Antimachiavelli* autor creditur, ineptissimum esse refutatorem, qui Machiavelli mentem sæpius ne assecutus est, & perpetuo cum larvis magno nisu pugnat. Sed hæc sufficiant de Statistica. Quæ de *Ratione Status Generali Germaniæ* dicenda sunt, *infra Dissert. XII.* occurrent.

§. 16. Satis vero ex allatis elucescit, solidioris politicæ intimiorem notitiam non solum cum notitia Juris publici utiliter conjungi posse, sed & necessarium adminiculum ejusdem constituere. Frustra vero esset, qui ad Politicam prudentiam per-

pervenire posse existimaret sola lectione librorum lingua, quam vocant eruditorum,latina conscriptorum & hoc titulo superbientimu. Plerumque enim illi editi a hominibus in pulvere enutritis & in umbra non in aulis viventibus. Hinc curiosior amator horum studiorum rectius duces eligit, præter consvetudinem virorum Pragmaticorum, si fieri potest vid. Bœcleri *Musæum p. 73.* illos, qui lingua vernacula de hac re aliquid commentati. Et imprimis eminet hac in parte Gallorum diligentia, quorum *libelli memoriales*,quos vocant, sunt historiæ abruptæ a viris usu aularum subactis compositæ, & politioribus in deliciis semper habitæ, quales sunt *Memoires de Rochefort* (concernentes ministerium Richelii & Mazarini) *Memoires de la Cour d' Angleterre, par la Comtesse d' Aunois 2, vol. 1695. Memoirès de Bellievre & de Sillery 2 vol. 1696. Memoires de Duplessis , Memoires de Schwede par Chanut, Memoires de Mareschal de Bassompierre, Memoires de Bussy Rabutin, Memoires, paur servir a la Vie du Prince de Conde. 2. vol. Memoires du Duc de Rohan, Memoires de la Vie du Duc de Buillion avec plusiers Particularitez de la Vie & des actions du Vicomte de Turenne &c.*

§. 17. Sic & ex Historicis partim antiquis *Tacito, Polibio, Zosimo*, partim recentioribus, *Cominæo* , Verulamii *historia Henrici VII.* Machiavelli *historia Florentina* , Amelotti *historia Veneta, Gviceiardino* , *Thuano*, Varillasii *historia Henrici II. Francisci I. Caroli IX. Politica Ferdinandi Catholici, &c.* aliisque, multa ad reconditam politicam spectantia a perito lectore inveniuntur. Pares fructus, si legantur *Vitæ Ministrorum Status*, qui fac totum fuere, uti Cardinales Richelius, Mazarinus , cujus primi vita 1695. prodiit haud dubie in Hollandia licet Coloniam præse ferat. Acta politica Mazarini bonam partem hauriri possunt ex ejus literis, *lettres du Cardinal Mazarin* , Amstelod. 1693. Vita item Principum & summorum Virorum a Viris prudentibus descripta multum confert ad hanc prudentiæ partem , quales sunt, *Vie du Pape Sixte V. Vie & Charactere de la Rayne Elisabeth, Vie & Charactere de Gustave Adolphe & de Charles Gustave, Roi*

de Svede. 1695. Vie du Prince de Conde, Vie du Cardinal du Commendon par l' Abbe Flechier, & nonnulli alii selectiores.

§. 18. Nec illam partem exclusam cupio quæ ex poliri seculi genio, politicæ pernecessaria creditur, & circa *Ceremonialia* aliasque aularum observantias versatur. Equidem Scholasticeeruditis pro minutiis habentur talia, sed quæ hodie (ut nunc sunt, credoque semper erunt res humanæ) graves sæpe pariunt difficultates: quemadmodum faciunt ceremoniæ, tituli, receptæ consvetudines & observationes nonnullæ viles in speciem, effectu magnæ. conf. Dissert. *de Jure Ceremoniali Legator.* §. *2. 3. & ult.* Furstener. *de Supremat. p. 29.* Pertinent huc qui de Proedria Principum, Dignitatibus, Titulis & similibus commentati, quales Gothofredus, Crusius, Joh. Seldeni *lib. de titulis honorum* valde, uti omnia viri, doctus. Feltmanni JCti Batavi extat sub *eodem titulo*, novitate exemplorum semet commendans. Celeb. Becmanni *Notitia Dignitatum Illustrium* multum etiam quis in hoc studio juvari potest. Ad mera Ceremonialia spectant libelli *Parides de Grassis, Christophori Marcelli* Greg. Leti *Ceremoniale. Ceremoniale Palatinum* & alterius Aulæ, quod non ita pridem non bonis avibus prodiit. *Directorium Aulicum*, uti vocatur, prodit etiam Autorem satis curiosum, a quo fama celeb. *Wagenseilium*, ingerens non abludit, add. Winterfelds *Ceremonial Politic*, quæ hoc anno prodiit.

§. 19. Proximum a cognitione politices adminiculum est *Historia* inprimis Imperii Germanici. Et cum omnium Regnorum Europæ historica notitia, maxime recentior, singulari ornamento Publicistæ sit, tum inprimis hic carere non potest historia Patria, unde nimirum mutatio status illustranda. Dici non potest quantum retardaverit Juris publici Doctrinam solidam neglectus Historiæ Germanicæ, qui post reformationem satis diu duravit usque ad tempora Lehmanni & Conringii, qui incredibili labore viam parce tritam ingressi, faciem interioris Germaniæ Status, nativæ bonitati satis feliciter restituerunt, modo successores æqualibus passibus ipsos secuti semper

per fuiſſent. Nam ſat multa monumentorum ſubſidia nobis ex infelici medii ævi ſtatu ſuperſunt. Equidem quod antiquum Germaniæ ſtatum tempore florentis Reipublicæ Romanæ & ſub primis Cæſaribus attinet, domeſtica teſtimonia vix adſunt. aut quæ producantur, ſubleſtæ fidei merito accuſantur.vid. Excell. Dn.Cocceji *Jurisprud. Public. Cap. 1. §. 2. ſeq. Cantus Bardorum* apud Tacitum, *de M. G c. 2.* qui eo tempore apud ſeptentrionales populos annalium vicem ſubibant,& quibus g eſta Heroum continebantur, dudum cum ipſis extincti, memoria non vero ſcriptis, apud gentem, ubi viri pariter ac feminæ ſecreta literarum ignorabant, continebantur. Quicquid nobis ſupereſt ex veteri memoria Reipublicæ iſtius temporis, ex Romanis Græcisqve ſcriptoribus hauriendum. Qui ſatis parce nec pro dignitate fortiſſimæ nationis memorant, ſive quod ſua tantũ admirati ſint, ſive inv idia& ambitione ne popularium res geſtæ, quæ alias plus famæ quam veri habent, maxime Græcorum, præ illorum fortitudine offuſcarentur. Scriptor es igitur unde ſparſim colligi ſtatus Germaniæ veteris poteſt, ſunt *Strabo, Vellejus Patercu us, Plinius, Diodorus Siculus, Pomponius Mela, Ptolemæus*, ex quibus illa, quæ de antiqua Germania agunt, excerpſit, & uno faſciculo exhibet H. Conringius. *Julius Cæſar, lib. VI. Comment. de Bello Gallic*, merito primo connumurandus, ſi cum *Glariani, Hottomanni*, Commentario legatur. Omnium vero copioſiſſime experientia & judicio fretus *Cornelius Tacitus* eleganti libello *de Moribus Germanorum.* Extant in hunc *Jodoci Willichii, Althammeri, Kirchmajeri, Lipſii Commentarii* ſatis docti, aliorumque, non tamen ita, ut ad juris publici manuductionem pleniſſime forent inſtructi. Interim optima quæque ex eo ſelegit Perilluſt. Dn. de Rhetz, *Inſtit. Jur. Publ. Lib. 1. tit. 2.* ubi eleganiſſime de Origine Germaniæ agit.

§. 10. Equidem æquo animo carere potuiſſemus plena notitia Germaniæ Veteris, quippe quæ ad hodiernum Jus publicum plus curioſitatis & jucunditatis, quam utilitatis habere videtur; modo hiſtoria Germanica a tempore *Francorum* & *Carolingorum* nobis omnibus partibus ſalva & perfecta ſupereſſet

esset. Qui vero extant, a Caroli M. & successoribus tempore, *Scriptores Historiæ Germanicæ*, collecti bonam partem ab *Henrico Canisio* qui sub titulo *Antiquarum Lectionum* congessit scriptores vetustos Germaniæ *V. vol. in 4. Ingolstad. 1601. Schardio*, qui 1673. Giessæ altera vice editus est, *Joanne Pistorio* tribus Tomis, 1607. & 1613. editis. *Christiano Urstisio*, duobus Tomis Francof. ad Mœnum 1670. *Justo Reubero* Tomo uno 1619. Hannoviæ edito. *Marquardo Frehero* tribus Tomis, quibus novissime 1688. accesserunt *Henrici Meibomii Tomi tres Rerum Germanicarum*. Excell. Dn. Leibnitzii *Scriptores rerum Germanic. Hannov. 1695. & 1698. 2. vol.* His si adjungas Reineccii & Goldasti tomos *de Monarchia S. Rom. Imp.* ut & der Reichs Satzungen/*Corpus Historiæ Germanicæ* medii ævi potissimum, sic satis nobile habebis. Bœcler, *Notit. Imper. lib. 1. c. 4. p. 15.* Quamvis autem multi scriptores in illis tomis suæ gentis temporisve historiam rude ac barbare expresserint, tamen in tanta vetustorum monumentorum penuria in magno pretio sunt habendi. Philippi a Vorburg Opus historiæ Germaniæ instar Compendii ex hisce Corporibus inservire potest, & aliquot voluminibus comprehensum est. Laudanda vero merito diligentia istorum virorum qui scriptores sparsim & in nonnullis Bibliothecis latentes in lucem tali ratione protraxerunt, boni publici ergo. Quod citra dubium etiam perpendit *Andreas* & *Franciscus du Chesne*, qui memorabili opere scriptores rerum Francicarum ediderunt, quod quidem Galli nonnulli dolent factum fuisse, sed horum invidiæ prævalet, litterati orbis incrementum, & inprimis hoc opus lectu Germanis dignum, dum ex inde enormes Gallorum prætensiones quas in regni Austrasici finibus, & aliis capitibus historicis fundant clarissime vanitatis postulari possunt. Cum vero in antiquis Capitularibus Caroli M. & successorum, tum & vetustis legibus multæ voces obsoletæ occurrant, quæ difficultates pariunt, *Glossaria Lindenbrogii, Meursii, Rigaltii, Gothofr. Wendelini*, quod additum Chiffletio *de Lege Salica, Fr. Junii* Glossarium Codici Argenteo quatuor Evangeliorum additum, Mabillonius de *Re Diplomatica*, Steph. Balützius in *Capitularibus Francorum Parisiis 1659. 2. vol.* aliique consulendi

fulendi erunt. Latet in his thesaurus antiquitatum medii ævi, quos tamen labores omnino superat quod *Lutetiæ Parisiorum*, postea & *Francofurti ad Mœnum, tribus Voluminibus* prodiit *Glossarium latino-barbarum* Caroli du Fresne Domini de Cange.

§. 21. Quo ad Historiam totius Germaniæ, maxime vetustiorem, *Chronica* etiam aliqua commendari merentur. Sed quia in multis putida commenta, aut res ne hilum æstimandæ occurrunt, selectu hic opus est. Præ multis vero meretur legi *Chronicon Carionis* quod a Melanchtone & Peucero ita emendatum est, ut compendium Historiæ universalis vix ullum aliud sit, quo majori judicio & diligentia res Ecclesiæ & Germaniæ annotatas reperias. Chronica *Freheriana* & *Acta Schwartzkopfiana* in augustam *Bibliothecam Guelpherbytanam* confluxerunt. Christophori Lehmanni *Chronicon Spirense* a peritioribus æstimatur ex vero. Quamvis enim tituli modestia tantum innuat res in una civitate gestas, revera tamen Juris publici Germanici historiam accuratam nobis relinquit, ut reliquis præferri mereatur. Nec ipse incomparabilis Conringius dissimulat, lectione hujus Chronici se demum ad summum hujus studii fastigium enisum esse, *in Præfat. ad Lampad. de Rep. Rom. Germ.* Editio hujus Chron. Spirensis in Fol. optima, novissime recusum est & Supplementis auctum. Substitit vero Lehmannus in Friderico III. Joannis Aventini *Annales*, licet præ se ferant historiam Bavaricam, attamen totius Germaniæ res attingunt, & quædam recondita habent, non fine successu legendi, maxime si addantur *Beati Rhenani*, *Hulderici Mutii*, *Hachenbergeri* aliorumque libri *de rebus Germanicis*, Cluveri *Antiqua Germania* Lugdun. Batav. 1631. fol. Lentuli *Germania vetus*. Latzius *de Migrationibus Gentium Septentrion. Annales Trevirienses* Brouweri.

§. 22. Historia Germaniæ recentior, maxime a Caroli V. temporibus, per duo ultima secula, uti rerum gestarum celebritate eminet, ita ob varias insecutas mutationes in Jure Publico notatu dignissima est. Præter *Thuanum*, qui mutato duntaxat stilo, res germanicas plerumque ex *Chytræo* mutuo sumsit, Fridericus Hortlederus Consiliarius Vinar. egregio opere de *Cau-*

sti Belli German. pleraque Acta & tabulas publicas istius temporis collegit. Cum hoc conjungendus est *Schleidanus*, & qui hunc continuavit *Caspar Londorpius*, qui Acta publica IV. Voluminibus edidit, cujus continuatio ab aliis, sub hujus nomine postea facta germanica utilis est, ob collecta Acta publica hujus seculi, in quibus, maxime Tomo IX. illud desideratur, quod *Acta Pacis Neomagensis gallice edita* sæpius imperite in lingvam germanicam versa sint, ceu illud fusius docetur in *Tom. 2. observ. Hallens. obs. de Presbeut. Jur. Legat* Nec sua laude defraudandi collectores *Theatri* & *Diarii Europæi*. Illud præstat quo ad accuratiorem historiam, picturas elegantes Principum &c vicissim *Diarium Europæum*, ob appendices *documentorum & scriptorum publicorum*, magni usui est, licet historiæ ex Novellis hebdomadariis tantum consutæ sint. Cum vero ab Anno 1618. usque 1679. Londorpiana Acta tantum se extendant, conjungi potest Lunigii *Sylloge negotiorum publicorum*, ubi ab Anno 1674. usque ad Ann. 1694. Acta publica congesta. Cui adminiculatur Antonius Faber in der Europäischen Staats Canzeley / in qua Acta Comitialia ab Anno 1684. exhibentur. Nec negligendus est Joach. Pistorius *in Flero Germanico 5. vol. 12.* Gastelius *de Statu Europæ*, Dn. de Zech. Europäischer Herold. Talanders Durchlaucht. Archiv. Quia vero post ferale illud tricennale Bellum Jus publicum insigniter mutatum est, multum conducet ad statum Germaniæ pernoscendum, politice inquirere quæ causa, quis progressus hujus belli, qui motus animorum Principum istius temporis, quæ spes occultæ quæ professæ fuerint, quæ fata denique Germania habuerit ex eo tempore. Huic intentioni inservit Autor anonymus in *Epitome rerum Germanicarum*, qui, quisquis sit, summus Politicus fuit, nisi quod ob nimiam periodorum extensionem lectorem attentum desideret. *Vittorio Siri* multa recondita habet. *Mercurius Gallicus* fabulis sæpe refertus est. Reliqua Historica, *Acta Bohemica*, tum & *Cancellaria Anhaltina*, Chemnitii *Bellum, Svecicum*, &hoc superans, utpote ex Archivo Svecico deprom ptum, opus Samuelis a Pufendorf *de Bello Svecico*, suppeditabunt. Cum quibus conjungatur

tur historia *Pacis Westphalicæ Pfanneri, & Historia arcana* ejusdem Pacis novissime prodiens, ex Schedis Nuntii Apostolici, Fabii Chisii, collecta, prout Editor persvadere cupit. Noviora & tantum non novissima quo ad statum Germaniæ bonam partem hauriri possunt ex Friderici Wilhelmi M. gloriosiss. mem. Electoris Brand. rebus gestis, non minori industria quam judicio descriptis ex Archivo Berolinensi a laudato B. Barone de Pufendorf, cujus *Carolus Gustavus*, Statum politicum Germaniæ imo totius Europæ post pacem Westphalicam itidem eleganter repræsentat.

§. 23. Historia *Ecclesiastica* a tempore Caroli V. eo necessaria magis, quo celebrior est mutatio, quæ eo tempore circa religionē auspiciis cælestibus contigit. Ingens inde mutatio Status & sic etiam juris publici. Hinc historia religionis in Germania inprimis Publicistæ perspecta esse debet. Equidem singulare decus conciliat nosse non solum hanc, sed & totam historiam Ecclesiasticam, cujus notitia plenior ingentes sane fructus in tota vita Civili promittit, & hodie etiam efflorescere valde incipit non sine incremento veræ Christianæ pietatis & religionis, sequestratis scilicet præjudiciis, quibus laborant *Centuriæ Magdeburgicæ* earumque Epitomator *Lucas Osiander*, aliique, ut de *Annalibus Baronii*, superstitionis manifestæ columinibus, nil dicam. Verum in præsenti non tam solliciti sumus, qvid ornare possit Jurisprudentē publicum, sed quid hujus studii necessaria adminicula sint. Ubi omnino sufficit, si statum religionis in Germania, quo ad originem & progressum bene perspectum habeat. Tradit vero omnium optime Albertus Crantzius *in sua Metropoli*, quomodo religio in Germania cœperit, & paulatim propagata sit. Acta publica vero temporibus Reformationis peculiari opere collegit *Lehmannus*. Schleidani *Commentarii de statu religionis sub Carolo V.* tum ob res & peritiam, tum ob stilum inprimis commendandi sunt. Fraudes Pontificum intuitu rerum germanicarum detexit in *historia Concilii Tridentini* Paulus Sarpius Servita Venetus, qui prudentia politica vix parem habuit suo tempore. Hunc licet refutare voluerit Jesuita *Pallavicinus*,

Multum hic con[...] ferunt Schulteti Annales Evangelii Historia Andreæ Heidelbergæ Francofurti impress.

ricinus in præmium operis confecti Cardinalitia dignitate donatus, utriusque tamen collatio peritum lectorem mox docebit, a Sarpii partibus veritatem stare, quam exclamationibus & Rhetoricis figuris (plerumque indiciis malæ causæ) frustra deprimere tentavit adversarius ejus. *Compositio pacis* a Dillingensibus Jesuitis haud dubie confecta, ad tranquillitatem Germaniæ turbandam quo ad punctum religionis edita, paris violentiæ clericalis liber Franc. Burckhardi *de Autonomia*, **oder von Freystellung der Religion**, qui itidem a Jesuitis Coloniensibus confectus creditur. Hinc merito B. Carpzovii, Hopfneri *Saxonica Evangelica*, aliorumque opera iis opponi possunt. Caraffæ *Germania sacra restituta* multa revelant, quæ forsan Pontificii nollent edita fuisse. Cetera exeqvuntur quæ de *Pace religionis* quid commentati, inter quos agmen ducunt *Petrus Syringius*, sive Justus Sprengerus, Svevus, & novissime Dn. Schilterus *de Pace religionis*, cujus incomparabile opus *de libertate Ecclesiarum Germaniæ*, ad statum religionis in Germania apprime facit. Ferdinandus de Boukisch *ad Instr. Pac.* novissime commentatus est, ubi illa quæ religionem attingunt in *Silesia* maxime enucleat, sed sæpius iniquus rerum Protestantium censor est, more hominum illius religionis, qui in illa vel adoleverunt, vel suam, cum illa commutarunt ex levitate animi. Conf. Dn. Pfanneri *Epistolam ad Boukisch*.

§. 24. Ceterum, uti historia in genere variis adminiculis ad sui perfectionem indiget; ita inprimis *historia juris publici Germanici* quibusdam subsidiis hac in parte adjuvanda, pleniusque instruenda est, nimirum cognitione *Genealogica*, & huic affini, *Heraldica Arte*, *Geographica*, & *Chronologica*. Hæc studia uti præ multis aliis sterilioribus in vita communi, ornant nobilem juventutem in spem majorem natam; ita inprimis necessaria adminicula ad Jus publicum Germanicum constituunt. Maxime autem hic conducit studium Genealogicum, ubi in nostro Imperio tot diversæ Principum Serenissimæ Familiæ sunt, quantæ in nullo alio regno Europæ. Instruit hæc inter alia specialem politicam Germaniæ, sive quid huic vel illi Aulæ, & interdum etiam toti Germaniæ ex usu sit. Si matrimonia Principum ineunda

eunda, si fœdera pangenda, si incrementa provinciarum per hereditates & successiones sperantur, non est nulla necessitudinis ratio habenda, hæc vero dependet ex Genealogiis, ex quarum connexione ignorata sæpius jus huic vel illi Domui quæsitum ignoratur & inda negligitur. Imo exinde curiosus Observator unius vel alterius familiæ sterilitatem quodammodo hereditariam, aut etiam mentis animique defectus politice hariolare valet. Hinc Principum, ex quorum heredibus sæpius salus Europæ & tranquillitas pendet, amores eo non derivandos esse, Politica svadet quemadmodum & vidimus ex Domo aliqua Serenissima Germaniæ, librorum multitudine, non vero potentia & opibus, nulli cedente, a summis Principibus Europæ Conjuges electas suisse, prælata fœunditatis & bonæ indolis opinione, doti amplæ & divitiis, quæ ex Connubiis aliarum sperari potuissent. Igitur ad studium genealogicum excolendum inservire possunt Henningii *Theatrum Genealogicum*, non solum Familiarum illustrium origines propaginemve, sed & brevem iis adjunctam historicam descriptionem exhibens, *tribus voluminibus in fol.* Paris utilitatis Nicolai Rittershusii *Opus Genealogicum* & Albizii *tabulæ genealogicæ*. Nec spernenda industria Melanchtonis in *Chronico Carionis*, & Davidis Chytræi in *Saxonia sua*, ubi plerarumque familiarum illustrium Stemma ac prosapiam accuratissime deduxerunt. Verum quia hi Autores, partim non ubivis deprehenduntur ac rari sunt, & tantum in magnis controversiis ex genealogia accurata dependentibus soleant non sine magna industria quæri ac consuli; Partim etiam remotiores a nostris temporibus; hinc recentiores Genealogiæ cum iis con-

conjungendæ, quo pertinent Dn. Imhoffii *Notitia Procerum S. R. Imperii* ad nostra usque tempora in novissima editione (quæ semper quærendæ sunt in hoc studio) deducta. Sic satis etiam elegantes sunt & novæ Dn. Lohmayeri *Tabulæ Genealogicæ*; Qui autem compendia amant, & pro incipiente hoc studium faciunt *Tabulæ Genealogicæ* quæ a Dn. Pfeffingero *Vitriario suo illustrato*, ut vocat, sunt additæ, it. Die Durchlauchtige Welt / aliique minutioris operæ. Unum fere omisissem, qui tamen reliquis præstare videtur, Venerandus Dn. Philippus Jacobus Spener, qui in *Theatro Nobilitatis Europæ*, *Sylloge Genealogica* non solum *Genealogiam*, sed & *Heraldicam* cum illa merito conjungendam instruit, peculiari *opere Heraldico*, cui addi poterunt Hœpingius *de jure Insignium & Armorum*, Bœcklers Wapen-Kunst. Elegans etiam in hoc studiorum genere est, *la Science de la Nob lesse, ou la Novelle Metode du Blason* par Menestrier a Paris 1691.

§. 25. *Geographia* porro jus publicum Germanicum non parum adjuvat. Equidem quatenus hæc disciplina versatur circa adfectiones terræ eas, quæ sub mensuram cadunt, Mathematicum ejus opus est. Ubi vero circa divisionem terræ occupata est, cujus superficies modo a natura, modo ab arbitrio hominum incertas partes distributa est, insignem habet affinitatem cum historia, & unum ejus oculum constituit; uti Chronologia alterum. Inprimis vero Germania varias circa has divisiones finium, vicissitudines experta est, ut nulla in re obscurior & difficilior sit ejus historia, in qua eruenda merito *Conringii*, *Martinii*, *Schurtzfleischii*, industria magni facienda est. Nec loquor solum de fini-

finibus, ut & denominationibus Provinciarum Germaniæ, prout tempore Romanorum a Tacito & aliis inumbrantur, sed de variis divisionibus medii ævi tempore Carolingorum. Ab accurata hac inquisitione finium & terminorum dependent multæ illustres controversiæ quæ veteris Regni Austrasici finibus ex moventur ab *Cassano, Puteano, Auberio* & aliis Gallis. Recentiora tempora si spectes, accurata geographica notitia Provinciarum multum conducit, vel ad gerendum bellum vel prompte excipiendum, quomodo commercia, quæ anima sunt status, faciliora & frequentiora sint reddenda. Huic usui inserviunt apprime Mappæ Geographicæ, si quæ accuratæ & speciales alicujus Provinciæ adhibeantur. Nec inutilis liber est Petri Bertii *de Germania situ & Provinciis, tribus tomis in 12.* Reliqua huc pertinentia plena manu tradit Rachelius *Otio Noviomag. c. 1*, ubi etiam inter alia commendat Marquardi Freheri *Origines Palatinas*, Boxhornii & Menagii *Origines Gallorum*, Pontani *Francorum*, Roberti Sheringhami *Origines Anglorum*, Reineri Reineccii *Origines Brandenburgicas*, quod in iis multa non modo ad historiam, sed & Geographiam veterem recentioremque pertinentia, Jurique publico Germanico inservitura vel adminiculatura deprehendantur.

§. 16. Accedimus ultimo loco ad *Chronologiam*, cujus notitia, & ad res ad Jus publicum pertinentes & Autores de illa veritate testantes necessaria est. Sic multum ad juris publici disciplinam prodest, ut noris quid ante Carolum M. quid illo imperante, quid postea contigerit, quando Imperium Occidentis ad Germanos translatum, Ducatus & Comitatus hereditarii facti, jus sacro-

sacrorum omne Cæsaribus ereptum, periodus superioritatis territorialis, & sexcenta alia unde satis probari potest, quam cynosura Chronologica opus sit Oceanum historiarum & Juris publici navigantibus. Potest vero in genere hic ducem sequi *Josephum Scaligerum*, *Sethum Calvisium*, vel *Dionysium Petavium*, aut ex recentioribus *Marshamum*, *Ricciolum* aliosque. In specie vero quo ad res Germanicas utile est *Marquardi Freheri Directorium* in plerosque, quos superstites habemus, Chronologos, Annalium Scriptores & historicos potissimum rerum Germanicarum. Sic etiam elegans est labor laudati Rachelii, qui *Cap. XXIV. Introd. ad Jus Publ.* Chronica & historicos pro ut incipiunt & finiunt, secundum seculorum & annorum seriem ordinavit.



DISSERTATIO II.
De
LEGIBVS IMPERII FVNDAMENTALIBVS.

SVMMARIA.

Leges Veterum Germanorum, & forma Imperii Germanorum vsque ad Francorum Monarchiam. §. I.
Initium legum fundamentalium totius Germaniae quaerendum in vnione Germaniae sub Clodouaeo M. & Carolo M. §. 2.
Sine cognitione historica status Germaniae, solide de legibus publicis non potest iudicari. §. 3.
Obseruantia Imperialis origo, indoles & progressus. §. 4.
Quare leges scriptae statum publicum concernentes obseruantiae vetustae fuere superadditae §. 5.
Origo Capitulationum Caesarearum §. *eod.*
Non conspirat cum historia patria illorum opinio, qui Capitulationum vestigia ante Carolum V. extare negant. §. 6.
Causa cur prima solennis Capitulatio Carolo V. praescripta sit. §. 7.
Electores ab eo tempore sibi ius Capitulationes conficiendi vindicarunt. §. 8.
Quando & quibus Comitiis reliqui status in communionem huius iuris venire voluerunt. §. 9.
Spes in initio praesentium Comitiorum perpetuam Capitulationem conficiendi quare collapsa §. 10.
An propterea Capitulationes post Instr. P. confecta pro legibus publicis non sint habendae. §. 11.
An Capitulatio deroget Maiestati Imperatoris? obiter & remissius tractatur, & imperitia nonnullorum notatur. §. 12.
A. Bulla quanam iura concernat, qui illam illustrauerint, an mutari possit? §. 13.
Recessus Imperii quid sint, quae origo eorum, §. 14.
Quot Recessus editi, & vitia nonnullarum editionum. §. 15.

Materia Recessuum, ius obligandi, diuisiones. §. 16.

Constitutio Pacis publica, origo eiusdem, pana contra eiusdem violatores. §. 17.

Pax religiosa, occasio reformationis, §. 18.

Motus Europa ex Reformatione Religionis, Bellum Schmalcaldium & inde secuta transactio Passauiensis & pax religiosa. §. 19.

Praparatio belli tricennalis, status Germania, character Ferdinandi II. §. 20.

Instrumento Pac. Westph. tribus religionibus consultum. §. 22. *an propterea Princeps nullam aliam religionem tolerare debeat? ibid.*

Pacis religiosa descriptio & votum pro eius continuatione contra turbulentos omnium religionum homines. §. 22.

An leges feudales in classem publicarum legum Germania veniant? §. 23.

An Canonicum Ius? §. 24.

An Iura Ciuilia Romana? §. 25.

§. I.



Ermaniam nostram nunquam sine legibus fuisse, etiam eo tempore, vbi Tacito teste, viri pariter ac feminæ secreta literarum ignorauerint, elegantissime probatum dedit ill. Dn. Stryk. *in Vs. Modern. ff. Dissert. prelim. §. 1. seqv.* Hoc tamen fatemur lubentes, illas constitisse magis in bonis moribus & consuetudinibus instar legum sancte obseruatis, quia alias ipsorum societates nullo modo consistere potuissent, quam in sanctionibus scripto comprehensis. add. B. Conring. *de Orig. Iur. German. Cap. 1, seqq.* Attinebant autem hæc communia placita tantum ordinem vnius populi aut prouinciæ, cuius limites non egrediebantur. Indoles enim populorum Germaniæ non aliter ferebat, quam vt quilibet populus sub suis quisque principibus aut Ducibus, magis suadendi autoritate quam iubendi potestate pollentibus, seorsim degeret, nulla communis Reipublicæ compage adunati. Hinc *Ambiorix* Eburonum, Gentis Ger-

Germanæ Cis-Rhenanæ, Rex apud Cæsarem *lib. 5.* libere profitetur, *sua esse imperia eiusmodi, ut non minus in se haberet iuris multitudo, quam ipse in multitudinem*, & Tacitus cum *lib. 14. annal.* memorasset, Frisios a *Verrito* & *Malorige* regi, adiicit prudenter: *in quantum Germai regnantur*. Vti vero hoc laxum imperium Germanorum tempore pacis sic satis bene se habebat; ita eos minus aptos reddebat ad resistendū Romanis, hostibus eorum libertatis. Hinc idem Tacitus ex vero censet in *vit. Agricolæ cap. XII.* nil Deos immortales melius largiri potuisse Romanis hac dissociatione politica Germanorum, alias acrior Arsacis regno libertas Germanorum Romanis nimis grauis futura fuisset.

§. II. Durauit vero hic status Germaniæ usque ad tempora Francorum imperii sub Clodouæo M. & postea Carolo M. Prout enim princeps aliquis aut validæ ac præpotenti genti vni aut pluribus imperauit, ita præ aliis conspicuus fuit. Talis tempore Iulii Cæsaris *Ariouistus*, Augusti *Arminius*, illustris ille Cheruscorum Dux apud *Tacitum*, (nam præter hunc nullum virtutum suarum præconem nactus, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirabantur, Romanis haud perinde celebris, quia vetera extollere in more habebant, recentium incuriosi) & ipsius Caroli M. tempore celebris præ aliis *Tassilo* Boioariæ, & *Vitekindus*, Saxonum, siue Reges siue Duces. Vnde nullo negotio porro concludere licet, nullas eo tempore leges publicum statum totius Germaniæ concernentes latas fuisse, priusquam auspiciis & felicitate armorum Francicorum sub *Clodouæo M.* magna Germaniæ pars ad Thuringiæ fines vsque Francici nominis Maiestatem comiter agnoscere cogeretur, & tandem sub Carolo M. deuicto Tassiloue, & Vitekindo in vnam Germania coaluisset Rempublicam. conf. Cæsarin. Furstener. *de Supremat. Princ. Imp. c. 14. seqq.* Conring. *Diss. de Imp. Germ. Ciuib.* Ex eo tempore Ducum & Comitum dignitas, aliquamdiu temporaria, sub Carolo M. & Successoribus, inertia successorum, hereditaria facta. Inde successu temporis Ducum Principumque potestas, olim nonnisi præcaria (loquor ex communi hypothesi Conringii, Monzambani, Kulpisii,) & iure Magistratus exercita, tandem maiestatis æmula euasit, superioritatis territorialis nomine imbuta, nomine

potius quam re a Maiestate discrepans. conf. Huber. de *Ciuit, lib. 1. c. 3. §. 19.* Accessit Caroli V. tempore ingens illa mutatio circa sacra, Protestantibus Principibus Germaniæ plenissime hac potestate restituta. Hinc Ducum Principumque Germaniæ ea iam est autoritas, vt singulorum ditio instar aliquod Reipubl. præ se ferre, & vnitati Reipublicæ exiguæ reliquæ superesse videantur. conf. Rachel. *Diss. de Capit.* & in *Otio Nouiomag. c. 4.*

§. III. Igitur a Carolingis legum fundamentalium Imperii prima periodus incipienda est, deducenda postea per seculorum sequentium seriem mutationemque status sub illis. Vti enim alibi fusius demonstratum est, mutatio status infert mutationem tacitam legum vid. *Diss. 1. §. 12.* & *Diss. de Mutat. A. Bullæ §. 7. seqv.* Hinc indoles & natura legum publicarum fundamentalium sine cognitione historica faciei germaniæ, vix aut admodum imperfecte cognosci poterit. Nam quod alicubi notat Hobbius *in Leuiathane*, nihil iactari frequentius; nihil interim intelligi rarius quam leges fundamentales, suo modo applicari potest etiam ad leges publicas Germanicas. Equidem quid in genere *legum fundamentalium* nomine veniat, quæ natura & indoles earum sit, solide copioseque persequitur Huberus *de Jur. Ciuit. Lib. I. Sect. 3. c. 5.* Ad Germaniæ vero leges publicas fundamentales quod attinet, indoles ipsarum est, vt versentur circa statum Ciuitatis Germanicæ eiusque Imperantes. Vti autem leges fundamentales sunt constitutiones quæ in fundando Imperio, ante plenam eius translationem, stabiliuntur, ut iuxta eas Respublica exerceatur; Huber. *l. c.* Ita in specie leges Germanicæ publicæ vel pertinent ad Ciuitatis Germanicæ *initia*, vel ad eius *mutationem*. Enim vero quæ pacta circa statum Ciuitatis publicum inter Regem & populum sint inita, cum in vnam ciuitatem coalesceret Germania sub Carolingis, ruditas æui istius non satis memoriæ prodidit. Et cum coniecturis hic omnino locus supersit, ortæ duæ illæ hypotheses. Vna Furstenerii *de Supremat. Princ. Germ. Cap. XIV. XV. XVI. XVII. XIX.* Principes deuictos in fidem tantum receptos relictos fuisse in ditionibus, conditione imparis fœderis verius, quam subiectionis, adiunctis tamen Comitibus & missis, vt eo facilius in officiis continerentur.

tur. Altera Lehmanni *Chron. Spirens. lib. 2. cap. 21.* Conringii *Diss. alleg.* Monzambani *de stat. Imp. c. III.* Kulpisii *de Jur. Legat. cap. VII. §. 14. seqv.* quæ & communis & §. *praced.* 2. recensita. Interim ex vtraque opinione apparet, non plane nulla libertate gauisos esse Germanos sub Carolingis, & Proceres eorum non exclusos fuisse a Comitiis & summa rerum, vti historia hoc docet satis euidenter. Hi enim mori maiorum inhæserunt in Regum & Dutum constitutione, in Comitiis agendis, & quæ alia statum publicum spectant, vti colligere est ex lege Salica, Alemannorum, Baiwariorum, Ripuariorum & Capitularibus Dagoberti Regis ac successorum. Dn. Schilt. *J. P. lib. 1. tit. 2. § 3.* Vti autem §. 2. in compendio capita mutationis vidimus, prout status Imperii mutatus, ita aliæ ac aliæ leges fundamentales inter Imperatores & Status conditæ. Subobscurius hoc primo indigitatum voce *obseruantia Imperialis*; cuius exordium a prima Germanorum origine libertatis retinentissimorum, progressus vero a Carolingis deriuandus est; roborante diuturno sequentium seculorum vsu. Postea vero illa capita quæ partim obseruantia nitebantur, partim alio iure, in *Capitulis*, & tandem clarius in *Capitulationibus*, vi pactorum publicorum, stabilita sunt.

§. IV. Antiquissima igitur legum publicarum Germaniæ videtur esse obseruantia Imperialis das Reichs Herkommen / quã vocem latine commode efferri vix posse, existimat Schottelius *de singular. antiqv. Juribus German. in præf.* Describi posset, quod sit tacita conuentio, ab Imperatore & Statibus, vel aliquando ab his solis diuturno vsu inita, qua varia totius imperii vel Statuum res, nec non operandi modum concernentia determinantur, conf. *Diss. nostr. de Aur. A. Bulla §. 12.* Originem obseruantiæ ab indole populi Germanici omni tempore consuetudines amantis derivat Kulpisius in *Dissert. de Obseruantia Imperiali*, quæ inter ipsius *Dissertat. Iur. Publ. selectas Argentorati 1688. editas* extat, sed loco allegato iam indicaui, non sufficere hanc rationem, nec proximam esse, cum potissima ratio ab imperii mutatione alium agendi modum desiderante deriuari debeat. add. Goldast. *tom. 4. Collect. Consvet. Imper.* Vitriar. *Inst. Iur. Publ. L. 1. tit. 1. §. 7.* Pleraque igitur capita Iuris publici incunabula debe-

libros optimum reputatur a Kulpisio *ad Monzamb. c. 5. §. 1.* Maximiliani II. Capitulationem autem, quam Limnæus & Carpzovius *de Leg. Reg.* mutilam & imperfectam ediderant, integram nunc exhibuit ex Archiuo Palatino nobiliss. Dn. Thulemarius *tr. de Bullis.* Sacratissimi Iosephi *Capitulatio* notis illustrata est a Dn. *Fritschio* & *Iulichio.* Qua ratione autem conueniant discrepentue inter se omnes, vno obtutu perspici potest in Dn. Mülderneri *Capitulatione Harmonica.*

§. VIII. Cæterum a tempore Solennium Capitulationum portio essentialis negotii electionis habita fuit ab Electoribus confectio Capitulationis, Moguntino vtpote Decano Collegii Electoralis stilum moderante. Hinc nec ipsi Imperatori, si viuo eo Rex Romanus eligendus est, in negotio Capitulationis quasdam partes concedunt. Limnæus *I. P. tom. 5. lib. 1. c. 12.* Regem Bohemiæ etiam hactenus exclusum fuisse a deliberationibus de Capitulatione conficienda experientia comprobat. conf. etiam Limn. *in Prolegom. Capit. sect. 4. n. 3.* Rachet. *de Capitul. sect. 4. n. 3.* Rachel. *de Capitulat. cap. IV. §. 6. 7.* Conring. *de Capit. §. 21.* Manserunt porro Electores in quieta possessione capitulationes conficiendi exclusis reliquis statibus a tempore Caroli V. vsque ad Rudolphi II. obitum, per integrum seculum. Post huius obitum quidam ordines facultatem hanc Collegii Electoralis demum impugnare coeperunt, nondum tamen mox coniunctis suffragiis res acta est in Comitiis, quantum quidem videre est ex Hippolyto a Lapide *de Rat. Stat. P. 1. Sect. 1. c. 15.* Limn. *ad Capit. in Prolegom. Sect. IV. n. 5.* Conring. *de Capitul. §. 4.* Rachel. *de Capitul. c. 3. §. 2.* Burgoldensi S. Oldenburger. *p. 5. Disc. 5. ad Instr. Pac.* Literis quæ apud Lundorp. *tom. I. Act. publ. lib. 1. c. 3.* extant. Tandem vero cum pax Westphalica conderetur ordines acrius institerunt, inprimis Euangelici, existimantes iura Statuum semper in ambiguo fore, nisi contineantur certa perpetuaque capitulationis formula ex Imperatoris omniumque Statuum consilio sanciendа, planeque immutabili, nisi mutata temporum ratio, & inde salus Reipubl. id postularet. Cum autem Sueci huic Ordinum postulato fauerent, ceu ex Dn. Pufendorfio *Comm. Rer.*

Se-

Suecicar. XIX. §. 3. Lundorp. *Actor. publ. tom. V. L. XI. cap.* 115. Dn. Pfanneri *Histor. Pac. Westphal. lib.* 3. *c.* 35. perspicere est, in *Instr. pac. Artic. VIII.* §. *habeantur.* constitutum, vt in proximis Comitiis de certa constantique Cæsarea Capitulatione ex omnium Statuum consensu concipienda ageretur.

§. IX. Magno animorum nisu ventilata fuit propterea hæc res in sequentibus Comitiis Ratisbonensibus 1653. conf. A. der Grund-Veste *p.* 3. *c.* 3. Dn. Pfanner. *Histor. hor. Comit. lib.* 2. Rachel. *Ot. Nouiom. cap. IX. p.* 45. Et cum res exitum sortiri non posset, Electores iure suo pristino vsi Augustæ Vindelicorum Ferdinandum IV. elegerunt, Ordinibus indicantes se eorum monita in Capitulatione futura non neglecturos. Sed quia omnia ipsorum monita Capitulationi non inserta deprehendebant Status, acriter in iisdem Comitiis negotii huius finem vrserunt, sed irrito euentu. conf. Pufendorf. *Histor. Friderici Wilhelmi L. IV.* §. 40. Cum igitur postea 1658. Leopoldina Capitulatio sub incude esset, nec ad illam reliquos Status admittere vellent Electores, quia perpetua Capitulatio in Comitiis, quæ ibi non essent, conscribi deberet, *monita* sua iterum Ordines exhibuerunt Electoribus (quæ inueniuntur In der Grund-Veste *part.* 3. *c.* 3.) addita protestatione, se Capitulationem pro lege publica habere nolle, nisi capitulatio ex tenore pacis Westphalicæ conficiatur, vti ipsa protestatio legi potest apud laudatum *Autorem* der Grund-Veste 4. *alleg. loc.* conf. Pufend. *alleg. histor. Lib. VII.* §. 26. Verum cum nec sic res ex placito Ordinum succederet, in sequentibus Comitiis 1663. quæ adhuc nouo exemplo durant, acriter res iterum est agitata. Post has disceptationes spes fuit, rem confectũ iri 1664. Nam a Collegio Electorali specimen perpetuæ Capitulationis adornatum reliquis Statibus exhibebatur. Ast cum res fere ad exitum perducta credebatur, ipse exitus siue *epilogus* Capitulationis initium nouarum disceptationum fuit, sed & de *prologo* postea orta litigia sunt, donec tandem metus armorum Turcicorum & Gallicorum negotium hoc interrumperet, ac deliberationes Comitiales ad salutem patriæ diuerteret. Ceterum nec ipsorum Ordinum harmonicum consensum, circa capitulandi ius sibi asserendum, fuisse,

 vel

Iam habent autoritatē; bene tamen si considerentur Principes vt Domini rerū suarum, vt patres, vt mariti; quatenus scil. receptio doceri posset. Dico receptio. Nam regulariter Principes & Status non vtuntur inter se iure Ciuili. Domus Ducalis Saxonica in causa Iuliac. ita se declarat: daß die Chur- und Fürsten des Reichs/ als *Persona Publica*, den *priuat*-Gesetzen keines Weges unterworffen. *vid. Apol.* der 2. Schrifften so 1609. von den Chur- und Fürstl. Häußern Sachsen ausgegangen. p. 8. Factum quidem est, ut recepta sint iura ciuilia in priuatis causis & Principum, sed in subsidium, neque secundum apices, sed cum differentia Ordinis & dignitatis illustris, præsertim recepto sublimi superitatis territorialis iure. In plerisque igitur causis Principum etiam inter se, v.c. testamenti factione & aliis, Ius Ciuile repudiatum est, quod eleganter nouissime deduxit rerum patriarum peritissimus vir Dn. Schilter *Inst. Iur. Publ. l. c. tit. 9.* §. 2. & passim. Ratio vero secundum eundem cur istæ solennitates Ciuiles a Principibus & Statibus non requirantur, est, quæ ex dignitate Principali & illustrissima nobilitate superiore summaque Germanorum fide, ac legalitate harum personarum arcessitur, qua salua intelligi debet iuris Ciuilis receptio, quippe quæ dignitas & prærogatiua sine facto & consensu ipsorum nullo modo minui poterit.

§. XXVI. Vnde simul manifestum fit, Brocardicum commune, quod in hac materia versantibus vtramque paginam implere solet, scilicet, *Principes inter se Vti jure priuatorum*; esse ambiguum, lubricum & ineptum sensum procreare aptum. Regula deberet esse: *Principes inter se litigantes ex Iure Naturæ & Gentium, consuetudinibus Germaniæ immemorialib9 iudicandi sunt, nisi in hoc vel illo capite iuris civilis receptio, tanquā exceptio, doceatur.* Hoc vero inuertunt communiter cum imperitis sutoribus, pedem calceo non vero calceum pedi aptare volentibus. Brocardica non sunt contemnenda, si vtantur iis viri, qui ex regulis bonæ interpretationis habitum interpretandi possident. Sunt autem meri sine mente soni in illorum ore, qui nil aliud norunt, quam secundum methodum causalem (inuentum in iure VVesenbecianum hecatombe aut centum boum mactatione dignum!) aliquid conscribillare valent.

§. XXVII. Possemus porro concedere vsum iuris Ciuilis dogmaticum in iure publico, modo legalis absit. Verum & hic cautionem desidero, ne ille vsus dogmaticus, siue illustratio legum publicarum ex legibus Romanis, sit frigidus & affectatus. Saperet enim hoc febriculosam Iuris Ciuilis ostentationem a Monzambano toties irrisam, a qua igitur, polito hoc seculo qui sapit, merito abstinet.

(o)



DISSERTATIO III.

De

ORIGINE, FINIBUS ET PRÆTENSIONIBUS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

SUMMARIA.

Origo Imperii Germanici IV. periodis includitur. §. 1.
Status Germaniæ sub primis Cæsaribus Romanis, & Origo gentis Franciæ. §. 2.
Constantinus M. & Theodosius M. ruinam Imperii Romani insigniter maturarunt. §. 3.
Recensetur occasio qua Regnum Langobardicum & reliqua Italia ad Francos pervenit. §. 4.
Pipini & Caroli M. auxilia Pontifici præstita, & quid Patriciatus *dignitas fuerit. §. 5.*
Titulus Imperatoris a Carolo M. acquisitus quid importet? Rejicitur communis opinio, Pontificem & Vrbem Romam tunc subditam plene fuisse Carolo. § 6.
Quo titulo, qua Justitia Carolus M. hæc acquisiverit, & transactio ejusdem cum Græcis Imperatoribus. §. 7.
Ruina Francorum post Caroli M. obitum. §. 8.
Stirpe Carolingica in Germania extincta, ex Saxonibus electi Imperatores. §. 9.
Otto M. est fundator Imperii Germanici §. 10. Exploditur opinio communis, Carolum M. Germanis acquisivisse Imperium, ibidem.
Otto III. confirmavit hanc dignitatem, post ejus mortem decrementum Imperatoriæ potestatis. §. 11.
Transitus ad fines Imperii & inde ortas prætensiones circa provincias avulsas. §. 12.
Prætensiones Imperii circa subjectionem sedis Romæ §. 13.

§. I.



Ermaniam nostram nunquam sine legibus fuisse, etiam eo tempore, vbi Tacito teste, viri pariter ac feminæ secreta literarum ignorauerint, elegantissime probatum dedit ill. Dn. Stryk. *in Vs. Modern. ff. Dissert. prælim.* §. 1. *seqq.* Hoc tamen fatemur lubentes, illas constitisse magis in bonis moribus & consuetudinibus instar legum sancte obseruatis, quia alias ipsorum societates nullo modo consistere potuissent, quam in sanctionibus scripto comprehensis. add. B. Conring. *de Orig. Iur. German. Cap.* 1, *seqq.* Attinebant autem hæc communia placita tantum ordinem vnius populi aut prouinciæ, cuius limites non egrediebantur. Indoles enim populorum Germaniæ non aliter ferebat, quam vt quilibet populus sub suis quisque principibus aut Ducibus, magis suadendi autoritate quam iubendi potestate pollentibus, seorsim degeret, nulla communis Reipublicæ compage adunati. Hinc *Ambiorix* Eburonum, Gentis Ger-

Germanæ Cis-Rhenanæ, Rex apud Cæsarem *lib. 5.* libere profitetur, *sua esse imperia eiusmodi, ut non minus in se haberet iuris multitudo, quam ipse in multitudinem*, & Tacitus cum *lib. 14. annal.* memorasset, Frisios a *Verrito* & *Malorige* regi, adiicit prudenter: *in quantum Germai regnantur.* Vti vero hoc laxum imperium Germanorum tempore pacis sic satis bene se habebat; ita eos minus aptos reddebat ad resistendū Romanis, hostibus eorum libertatis. Hinc idem Tacitus ex vero censet in *vit. Agricolæ cap. XII.* nil Deos immortales melius largiri potuisse Romanis hac dissociatione politica Germanorum, alias acrior Arsacis regno libertas Germanorum Romanis nimis grauis futura fuisset.

§. II. Durauit vero hic status Germaniæ usque ad tempora Francorum imperii sub Clodouæo M. & postea Carolo M. Prout enim princeps aliquis aut validæ ac præpotenti genti vni aut pluribus imperauit, ita præ aliis conspicuus fuit. Talis tempore Iulii Cæsaris *Ariouistus*, Augusti *Arminius*, illustris ille Cheruscorum Dux apud *Tacitum*, (nam præter hunc nullum virtutum suarum præconem nactus, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirabantur, Romanis haud perinde celebris, quia vetera extollere in more habebant, recentium incuriosi) & ipsius Caroli M. tempore celebris præ aliis *Tassilo* Boioariæ, & *Vitekindus*, Saxonum, siue Reges siue Duces. Vnde nullo negotio porro concludere licet, nullas eo tempore leges publicum statum totius Germaniæ concernentes latas fuisse, priusquam auspiciis & felicitate armorum Francicorum sub *Clodouæo M.* magna Germaniæ pars ad Thuringiæ fines vsque Francici nominis Maiestatem comiter agnoscere cogeretur, & tandem sub Carolo M. deuicto Tassilone, & Vitekindo in vnam Germania coaluisset Rempublicam. conf. Cæsarin. Furstener. *de Supremat. Princ. Imp. c. 14. seqq.* Conring. *Diss. de Imp. Germ. Ciuib.* Ex eo tempore Ducum & Comitum dignitas, aliquamdiu temporaria, sub Carolo M. & Successoribus, inertia successorum, hereditaria facta. Inde successu temporis Ducum Principumque potestas, olim nonnisi precaria (loquor ex communi hypothesi Conringii, Monzambani, Kulpisii,) & iure Magistratus exercita, tandem maiestatis æmula euasit, superioritatis territorialis nomine imbuta, nomine

potius quam re a Maiestate discrepans. conf. Huber. de *Ciuit. lib. 1. c. 3. §. 19.* Accessit Caroli V. tempore ingens illa mutatio circa sacra, Protestantibus Principibus Germaniæ plenissime hac potestate restituta. Hinc Ducum Principumque Germaniæ ea iam est autoritas, vt singulorum ditio instar aliquod Reipubl. præ se ferre, & vnitati Reipublicæ exiguæ reliquæ superesse videantur. conf. Rachel. *Diss. de Capit.* & in *Otio Nouiomag. c. 4.*

§. III. Igitur a Carolingis legum fundamentalium Imperii prima periodus incipienda est, deducenda postea per seculorum sequentium seriem mutationemque status sub illis. Vti enim alibi fusius demonstratum est, mutatio status infert mutationem tacitam legum vid. *Diss. 1. §. 12.* & *Diss. de Mutat. A. Bullæ §. 7. seqv.* Hinc indoles & natura legum publicarum fundamentalium sine cognitione historica faciei germaniæ, vix aut admodum imperfecte cognosci poterit. Nam quod alicubi notat Hobbius *in Leuiathane*, nihil iactari frequentius, nihil interim intelligi rarius quam leges fundamentales, suo modo applicari potest etiam ad leges publicas Germanicas. Equidem quid in genere *legum fundamentalium* nomine veniat, quæ natura & indoles earum sit, solide copioseque persequitur Huberus *de Jur. Ciuit. Lib. I. Sect. 3. c. 5.* Ad Germaniæ vero leges publicas fundamentales quod attinet, indoles ipsarum est, vt versentur circa statum Ciuitatis Germanicæ eiusque Imperantes. Vti autem leges fundamentales sunt constitutiones quæ in fundando Imperio, ante plenam eius translationem, stabiliuntur, ut iuxta eas Respublica exerceatur; Huber. *l. c.* Ita in specie leges Germanicæ publicæ vel pertinent ad Ciuitatis Germanicæ *initia*, vel ad eius *mutationem*. Enim vero quæ pacta circa statum Ciuitatis publicum inter Regem & populum sint inita, cum in vnam ciuitatem coalesceret Germania sub Carolingis, ruditas æui istius non satis memoriæ prodidit. Et cum coniecturis hic omnino locus supersit, ortæ duæ illæ hypotheses. Vna Furstenerii *de Supremat. Princ. Germ. Cap. XIV. XV. XVI. XVII. XIX.* Principes deuictos in fidem tantum receptos relictos fuisse in ditionibus, conditione imparis fœderis verius, quam subiectionis, adiunctis tamen Comitibus & missis, vt eo facilius in officiis continerentur.

tur. Altera Lehmanni *Chron. Spirens. lib. 2. cap. 21.* Conringii *Diss. allg.* Monzambani *de stat. Imp. c. III.* Kulpisii *de Jur. Legat. cap. VII. §. 14. seqv.* quæ & communis & §. *praeced. 2.* recensita. Interim ex vtraque opinione apparet, non plane nulla libertate gauisos esse Germanos sub Carolingis, & Proceres eorum non exclusos fuisse a Comitiis & summa rerum, vti historia hoc docet satis euidenter. Hi enim mori maiorum inhæserunt in Regum & Ducum constitutione, in Comitiis agendis, & quæ alia statum publicum spectant, vti colligere est ex lege Salica, Alemannorum, Baiwariorum, Ripuariorum & Capitularibus Dagoberti Regis ac successorum. Dn. Schilt. *J. P. lib. 1. tit. 2. § 3.* Vti autem §. 2. in compendio capita mutationis vidimus, prout status Imperii mutatus, ita aliæ ac aliæ leges fundamentales inter Imperatores & Status conditæ. Subobscurius hoc primo indigitatum voce *obseruantia Imperialis*; cuius exordium a prima Germanorum origine libertatis retinentissimorum, progressus vero a Carolingis deriuandus est; roborante diuturno sequentium seculorum vsu. Postea vero illa capita quæ partim obseruantia nitebantur, partim alio iure, in *Capitulis*, & tandem clarius in *Capitulationibus*, vi pactorum publicorum, stabilita sunt.

§. IV. Antiquissima igitur legum publicarum Germaniæ videtur esse obseruantia Imperialis das Reichs Herkommen / quã vocem latine commode efferri vix posse, existimat Schottelius *de singular. antiqv. Juribus German. in praef.* Describi posset, quod sit tacita conuentio ab Imperatore & Statibus, vel aliquando ab his solis diuturno vsu inita, qua varia totius imperii vel Statuum res, nec non operandi modum concernentia determinantur. conf. *Diss. nostr. de Mut. A. Bullæ §. 12.* Originem obseruantiæ ab indole populi Germanici omni tempore consuetudines amantis derivat Kulpisius in *Differt. de Obseruantia Imperiali*, quæ inter ipsius *Differtat. Iur. Publ. selectas Argentorati 1688. editas* extat, sed loco allegato iam indicaui, non sufficere hanc rationem, nec proximam esse, cum potissima ratio ab imperii mutatione alium agendi modum desiderante deriuari debeat. add. Goldast. *tom. 4. Collect. Consvet. Imper.* Vitriar. *Inst. Iur. Publ. L. 1. tit. 2. §. 7.* Pleraque igitur capita Iuris publici incunabula debebent

bent huic obſeruantiæ Imperiali: Apposite hanc in rem diſſerit Excellentiſſ. Dn. Cocceius *in monitis præmiſſis Iurisprud. Publicæ* §. 2. *Ius publicum Regni Germanici, nulla olim lege comprehenſum, non ab alio fere principio arceſſitur*, quam a longæua conſuetudine, quæ quid eſt quam antiquitatis Germaniæ hiſtoria? *ex hac proinde tum ea, quæ literis poſtea comprehenſa, ſed dubia ſunt, decidi, tum ceteta hauriri ac exponi neceſſe eſt*.

§. V. Quia autem ſola hæc obſeruantia eiusue determinatio ſuis non carebat difficultatibus, & nunc pro lubidine aliquis ad eam prouocabat, alter repudiabat, hinc ſucceſſu temporis, leges & conuentiones publicæ ſcriptæ fuere ſuperadditæ. Antiquisſimæ ex illis vetera ſunt *Capitula* quibus ſuccedendi modum definiebant & regendi ius temperabant Proceres Regni Germaniæ. conf. inprimis Dn. Schilt. *Inſt. Iur. Publ. Lib. I. tit. XV.* Origo eorundem ex populorum Germanicorum adamata libertate, vti ſupra ex Tacito *de Morib. Germ. c. XI.* adductum. Indeſurgens Francorum gentis potentia ad Comitia Statuum tam Eccleſiaſticorum quam Secularium iam tum fuit reſtricta, & legum latio non abſolute penes Reges fuit, ſed ad conſenſum & approbationem ordinum alligata. Probat hoc docte Schilterus ex Legibus *Salica, Baiuvariorum, Alemannorum, Capitularibus Francorum* Caroli M. Ludouici pii & aliorum. Sigillatim vero diuiſo Imperio inter Ludoui pii filios, A. C. 860. in *Pactione Confluentana* Articulus X. velut Capitulationem generalem & perpetuam & ad ſucceſſores ipſo iure, etiamſi non ſemper expreſſe transmiſſam, continet, qua obligauit ſeſe Rex Ludouicus Statibus Regni, *quod illorum communi conſilio* (comitiis) *aſſenſum præbere, veluti adiutorum & cooperatorum ſuorum, velit*. Huic Capitulationi primæuæ, ſequentibus temporibus, pro rerum facie ſtatuque ac Reipublicæ neceſſitate, ſubinde quædam addita, aut priora ſaltem expreſſe renouata, veluti ſub Ludouico III. Arnulphi filio impuberi, A. 900, Conrado I. Imp. A. 912. Henrico IV. Ottone IV. Dn. Schilt. *Inſt. l. P. lib. I. ſit. 15. h. 4.* qui ad Conringium *in Animaduerſ. ad Lampad. P. 3. c. 11.* §. 4. prouocat, ſed nil talium mihi contigit ibi inuenire, hinc puto ipſum §. *1. eiusdem cap.* indigitare voluiſ-

fuisse; add. Rachel. *Dissert. eleg. de Capitulat. Cap. II. §. 5.*

§. VI. Vnde oppido liquet, Capitulationum origines altius repetendas esse, quam vulgo fit, & hospites se profiteri in monumentis patriis, qui vestigia Capitulationum ante Carolum V. non extare, existimant. Equidem de solennibus Capitulationibus admitti potest, non vero, quasi antea circa modum regendi & alia capita summi Imperii nil sibi Status, per stipulationes publicas cauissent. Rachel. *Otio Noviomag. c. 19. p. 44.* Multo enim vetustiora tempora sunt, quibus Germani regnare soliti sunt. Quem enim modum postea imperio Regio verbis & scripto statuerunt, hunc olim facto expresserunt, & quamuis priscorum Regum Francicorum addictius fuerit Imperium, atque illorum qui hodie regnant, nondum tamen illud supra libertatem fuit. Interim nec illud abnuere animus est, vetera pacta & capitularia circa isthanc rem adstrictiora & angustioribus terminis comprehensa fuisse, cum de reliquis Statuum iuribus non expressis, per *Obseruantiam immemorialem* ab ipsis inde Reipubl. Germanicæ originibus continuatam, satis prospectum videbatur. Abunde enim indicat Status illorum temporum & indoles Reipublicæ, Reges in obseruantiam hanc vetustam & communem legum & consuetudinum receptarum creatos & admissos esse, iuramento illorum in supplementi vicem ad sanctiorem obseruationem horum capitum accedente. add. Conring. *Diss. de Capitulat. §. 19.*

§. VII. Cur autem Carolum V. expressis istis & prolixis legibus voluerint adstringere Electores, in causa erat istius Principis potentia, iuueniles altique spiritus, quos suum illud *plus vltra* satis arguebant; & ne patrimonii sui amplitudine abuteretur, & vt nosset, alio sibi modo gubernandam esse Germaniam quam reliquas ditiones. Monzamb. *de stat. Imp. Cap. 5. §. 1.* Rachel. *alleg. Diss. cap. 5. §. 5.* Semel receptum institutum, & si fortasse hæ rationes non æque urgerent, retinere visum, ne ampliora sibi indulta crederent successores. Hinc Capitulationes continuatæ vsque ad hodierni gloriosis. Iosephi electionem. Formulas autē istas a Caroli V. æuo vsq; ad Leopoldi Inuictiss. tempora, exhibuit Limnæus non solum, sed & notis illustrauit peculiari opere, quod inter ipsius libros

libros optimum reputatur a Kulpisio *ad Monzamb. c. 5. §. 1.* Maximiliani II. Capitulationem autem, quam Limnæus & Carpzovius *de Leg. Reg.* mutilam & imperfectam ediderant, integram nunc exhibuit ex Archiuo Palatino nobiliss. Dn. Thulemarius *tr. de Bullis.* Sacratissimi Iosephi *Capitulatio* notis illustrata est a Dn. *Fritschio* & *Iulichio.* Qua ratione autem conueniant discrepentue inter se omnes, vno obtutu perspici potest in Dn. Müldeneri *Capitulatione Harmonica.*

§. VIII. Cæterum a tempore Solennium Capitulationum portio essentialis negotii electionis habita fuit ab Electoribus confectio Capitulationis, Moguntino vtpote Decano Collegii Electoralis stilum moderante. Hinc nec ipsi Imperatori, si viuo eo Rex Romanus eligendus est, in negotio Capitulationis quasdam partes concedunt. Limnæus *I. P. tom. 5. lib. 1. c. 12.* Regem Bohemiæ etiam hactenus exclusum fuisse a deliberationibus de Capitulatione conficienda experientia comprobat. conf. etiam Limn. *in Prolegom. Capit. sect. 4. n. 3.* Rachel. *de Capit. sect. 4. n. 3.* Rachel. *de Capitulat. cap. IV. §. 6. 7.* Conring. *de Capit. §. 21.* Manserunt porro Electores in quieta possessione capitulationes conficiendi exclusis reliquis statibus a tempore Caroli V. vsque ad Rudolphi II. obitum, per integrum seculum. Post huius obitum quidam ordines facultatem hanc Collegii Electoralis demum impugnare coeperunt, nondum tamen mox coniunctis suffragiis res acta est in Comitiis, quantum quidem videre est ex Hippolyto a Lapide *de Rat. Stat. P. 1. Sect. 1. c. 15.* Limn. *ad Capit. in Prolegom. Sect. IV. n. 5.* Conring. *de Capitul. §. 4.* Rachel. *de Capitul. c. 3. §. 2.* Burgoldensi S. Oldenburger. *p. 5. Disc. 5. ad Instr. Pac.* Literis quæ apud Lundorp. *tom. I. Act. publ. lib. 1. c. 3.* extant. Tandem vero cum pax Westphalica conderetur ordines acrius institerunt, inprimis Euangelici, existimantes iura Statuum semper in ambiguo fore, nisi contineantur certa perpetuaque capitulationis formula ex Imperatoris omniumque Statuum consilio sancienda, planeque immutabili, nisi mutata temporum ratio, & inde salus Reipubl. id postularet. Cum autem Sueci huic Ordinum postulato fauerent, ceu ex Dn. Pufendorfio *Comm. Rer.*

Se-

Suecicar. XIX. §. *3.* Lundorp. *Actor. publ. tom. V. L. XI. cap.* 115. Dn. Pfanneri *Histor. Pac. Westphal. lib. 3. c. 35.* perspicere est, in *Instr. pac. Artic. VIII.* §. *habeantur.* constitutum, vt in proximis Comitiis de certa constantique Cæsarea Capitulatione ex omnium Statuum consensu concipienda ageretur.

§. IX. Magno animorum nisu ventilata fuit propterea hæc res in sequentibus Comitiis Ratisbonensibus 1653. conf. A. der Grund-Veste *p. 3. c. 3.* Dn. Pfanner. *Histor. hor. Comit. lib.* 2. Rachel. *Ot. Nouiom. cap. IX. p. 45.* Et cum res exitum sortiri non posset, Electores iure suo pristino vsi Augustæ Vindelicorum Ferdinandum IV. elegerunt, Ordinibus indicantes se eorum monita in Capitulatione futura non neglecturos. Sed quia omnia ipsorum monita Capitulationi non inserta deprehendebant Status, acriter in iisdem Comitiis negotii huius finem vrserunt, sed irrito euentu. conf. Pufendorf. *Histor. Friderici Wilhelmi L. IV.* §. *40.* Cum igitur postea 1658. Leopoldina Capitulatio sub incude esset, nec ad illam reliquos Status admittere vellent Electores, quia perpetua Capitulatio in Comitiis, quæ ibi non essent, conscribi deberet, *monita* sua iterum Ordines exhibuerunt Electoribus (quæ inueniuntur In der Grund-Veste *part. 3. c. 3.*) addita protestatione, se Capitulationem pro lege publica habere nolle, nisi capitulatio ex tenore pacis Westphalicæ conficiatur, vti ipsa protestatio legi potest apud laudatum *Autorem* der Grund-Veste *4. alleg. loc.* conf. Pufend. *alleg. histor. Lib. VII.* §. *26.* Verum cum nec sic res ex placito Ordinum succederet, in sequentibus Comitiis 1663. quæ adhuc nouo exemplo durant, acriter res iterum est agitata. Post has disceptationes spes fuit, rem confectũ iri 1664. Nam a Collegio Electorali specimen perpetuæ Capitulationis adornatum reliquis Statibus exhibebatur. Ast cum res fere ad exitum perducta credebatur, ipse exitus siue *epilogus* Capitulationis initium nouarum disceptationum fuit, sed & de *prologo* postea orta litigia sunt, donec tandem metus armorum Turcicorum & Gallicorum negotium hoc interrumperet, ac deliberationes Comitiales ad salutem patriæ diuerteret. Ceterum nec ipsorum Ordinum harmonicum consensum, circa capitulandi ius sibi asserendum, fuisse

B vel

vel exinde apparet, quod Status Pontificii Electoribus fere studuerint, atque ita numero suffragiorum victi sint Protestantes Principes, annotante hoc Rachelio *Or. Nouiom. C. IX. p. 45.* addantur quæ Monzamb. *de Statu Imp. cap. V. §. 2.* politice, sed more suo falsè annotat, summa actorum etiam satis Patet ex Venatoris *Relation. Comitialibus ac ominosa rerum serie præsentium Comitiorum.*

§. XI. Discuti propterea mereretur illa quæstio, *an posteriores Instrumento pacis Capitulationes vim legum fundamentalium habeant?* Decisioni affirmatiuæ valde videtur obstare protestatio vel comminatio potius Statuum reliquorum quam §. 9. adduximus. Interim tamen notandum, quod Electores profiteantur se non suo, verum etia reliquorum ordinum omnium nomine pacisci in Capitulatione cum nouo Imperatore. Clare hoc innuunt verba Capitulationum Ferdinandi IV. Leopoldi & Iosephi, Mit dessenselben Unsern lieben Neven/Oheimen und Chur Fürsten/vor sich und sämptliche Fürsten und Stände des H. Röm. Reichs ꝛc. Præterea in allegato articulo VIII. §. habeantur. Instrumenti Pacis deliberatio solum, & si fieri potest, decisio in futuris Comitiis promittitur, quia igitur res in Comitiis hactenus expediri ob varias figuras & aspectus politicorum negotiorum haud potuit, salua interim manent iura, quæ vtraque pars se habere prætendit, Electoribus interim in possessione & exercitio huius iuris manentibus.

§. XII. Solent etiam Publicistæ occasione huius rei quærere, *an Capitulatio deroget Maiestati Imperatoriæ?* quæ quæstio a multis non citra imperitiam solidioris politices consueuit tractari Sic ineptias Reinkingii & aliorum statuentiũ, Imperatoris maiestatẽ augeri Capitulatione, instar legis Regiæ, apud Kulpis. *ad Monz. p. 72.* merito castigat felicioris ingenii ICtus Rachelius *Diss. de Capitulatione cap. VI. §. 4. & 7.* Nec minꝰ inconninna comparatio Carpzouii *in Comment. ad Legem Regiam Germanorum*, Capitulatione intelligens. Nam *Lex Regia* veterum Imperatorum, si vnquam lata, de qua re cum *Schoockio* iam disceptare velle, præter institutum esset, e diametro Capitulationibus contraria. His enim potestas Imperatorum restringitur & limitatur; illa veteri lege Regia vero

vero absoluta & illimitata euadebat. add. Dn. Schwed. *I. P. part. general. c. 2.* §. *10.* Verum quia in hac dissertatione de Legibus fundamentalibus Germanicis in se spectatis agere animus est, consulto abstinemus decisione huius quæstionis, præsertim cum infra *Diss. IV.* copiose de illa re agere commodior occasio erit.

§. XIII. Succedit igitur nunc *A. Bulla*, quæ, Carolo IV. Imp. autore, modum eligendi Imperatorem, iuraque Collegii Electoralis definit. Quæ *figura* aut forma eiusdem, *vbi* & *qua lingua* confecta. & reliqua eo pertinentia consulto prætereo, quia in omnibus libellis ista ad nauseam apparent. In specie vero doctiss. Dn. Thulemarius *Tr. de Aurea, Argentea, Cerea Bulla cap. 6. 7. 8. & 9.* elegantissime iam adduxit quæ ad varia exemplaria eiusdem originalia, figuram & cetera spectant. Reliqua possunt hauriri ex *Limnæo, Arumæo, Buxtorffio, Rumelino* & adhunc *Mylero, Dieterico, Crusio, Bechmanno*, Commentatoribus A. Bullæ, vt & Canisio *in discursibus Gallicis ad A. B.* Quod si enim hæc exscribere animus esset, ex his & nonaginta nouem aliis publicistis, vererer censuram sagacissimi Monzambani *in præf. sui libelli*, quod hæc annotare sit alicualis industriæ specimen, nullius vero ingenii & iudicii. Ceterum quænam capita A. Bullæ ob mutatam temporum sequentium rationem hodie mutata sint & desuetudine inumbrata, illa collecta reperiuntur in *Diss. de Mutatione A. Bullæ*, ad quam, vt & circa alia, quæ hic possent tangi, me refero breuitatis causa.

§. XIV. Sequuntur *Recessus Imperii* qui sunt decreta Comitialia siue leges vniuersales, in Comitiis Imperii mutuo Imperatoris & Statuum consensu, de negotiis administrationem & conseruationem Imperii inprimis concernentibus, legitime constitutæ & promulgatæ. Dn. Schwed. *Inst. Iur. Publ. part. Gener. c. 3.* Vnde patet, tam Cæsarem quam Status per modum Conuentionis obligari quod omnibus legibus publicis commune est, hinc totum fere nostrum Ius publicum pactitium est. conf. Maurit. *de Recess.* §. *32.* Confirmant hoc verba *Recessus de 1500.* Haben uns mit und gegen einander deßhalben in Contracts Weiße vereinigt, verpflicht und verschrieben. Hinc in casu dissensus inter Imperatorem & Status, nihil agitur, *I. P. art. 8.* §. *2.* vt vt dubitet de hac re

 Mau-

Maurit. *d. l.* §. 20. & Stamlerus, tum Imperatorem; vicissim Hippolitus a Lapide, Status concludere posse, existiment. Nec mutuæ huic Conuentioni obstat, quod solius Cæsaris nomine publicentur. Nam hoc ex pristino stilo Curiæ fuit retentum, vti contra Fibigium obseruat Maurit. *d. diss.* §. 6. Vocantur alias *Constitutiones Imperii*, & quo admodum obligandi eandem vim iis tribuit Dn. Mauritius *disp. de Recess. Imper.* §. 7. quam habent A. Bulla, Constitutio pacis profanæ & religiosæ &c. Originem horum Recessuum a Carolo M. peti posse, existimat Mauritius *cit. loc.* §. 5. quem sequitur Dn. Pfeffing. *in Vitriar. illustr. L. 1. tit. 2.* §. 10. vbi ex Hincmari Rhemensis *Epist. 3. 29.* suam sententiam corroborare cupit. Sic apud Goldastum *tom. 1. const. Imp.* extat Recessus Carolo Imperatore confectus an. 890. vel iuxta alios 790. Verum bene annotat Vitriarius, simulacra potius nostrorum Comitiorum & Recessuum dicendenda esse. *Inst. I. P. L. 1. tit. 2.* §. 10. Goldasti vero autoritas circa fidem & authentiam veterum Diplomatum non omni exceptione maior est. Goldastum enim nimis credulum sæpe fuisse, & pro Diana ranam sæpius afferre in suis operibus, peritis historiarum patriæ abunde constat. Hinc & Gothofr. Wendelin. *de Leg. Salic. cap. 2.* acerrime increpat Goldastum, quod ficta diplomata pro veris & authenticis ediderit. Et ipse Pfeffingerus cum Conringio, Obrechto, Ittero, Schiltero hunc Recessum Caroli vt fictitium reiicit *L. 1. tit. IV.* §. 3. *lit. 1.*

§. XV. Veteres igitur constitutiones, *tribus Tomis Constitutionum Imperialium* compilauit Goldastus, in quo tamen Conringio & alii desiderant nimiam credulitatem, & quod interdum suppositias chartas pro authenticis diplomatibus venditauerit. Constitutiones autem recentiores quæ nomine *Recessuum* veniunt, variis editionibus prodierunt. Vltima Moguntina 1660. quam tamen suis mendis etiam scatere, probat Dn. Schwed, *I. P. part. General. c. 3.* §. 8. Nullius enim Recessus ab an. 1356. vsque ad 1442. mentio in illa fit, licet Lehmannus *in Chron. Spir. lib. 7. c. 63.* Comitia 1389. 1398. habita fuisse, fidem faciat. Sic nec ibi constitutio *de Re monetaria*, cuius mentio fit in *Rec. Imp. d. 1551.* §. 36. & apud Goldastum *p. 2.* der Reichs-Satzungen *p. 150.* exhibetur, addita reperi-

peritur. Illud vero notabile est, quod Schutz. *I. P. vol. 2. disp. 4. th. 1. lit. B.* tradit, Paulum IV. papam Recessus Imperii inter libros prohibitos retulisse, eaque de re Ferdinandum I. non semel conquestum fuisse. Testatur autem Dn. Schweder, se in Petri Suauis Historia Concilii Tridentini, ad quam prouocet Schützius, hoc non reperire potuisse, quod totum volumen Recessuum inter libros prohibitos sit relatum. Igitur dici potest, in *indicem expurgatorium* forsan nonnulla loca delenda relata fuisse a Pontifice. Ceterum qui contenta cuiusuis Recessus nosse cupit, adeat Dn. de Andler *Corpus Recess. German.* quod ex Imperialibus variis constitutionibus in vnum volumen secundum Alphabeti seriem collectum est.

§. XVI. Quod si autem porro materiam Recessuum consideremus, illa ad tria Capita reuocari posse videtur. Nam agitur in illis (1) vel de Statu Publico Germaniæ, vel (2) de rebus transitoriis ab Cæsare & Statibus expediendis, vel (3) de legibus & negotiis priuatis ad Statuum subditos pertinentibus. Prioris generis pleraque sunt, quæ in Recessibus occurrunt. Ad posteriorem classem pertinet, quando in Recessibus agitur de certo militum numero conscribendo, bello Turcico & aliis capitibus transeuntibus; & denique si in Recessibus inserantur res, vt subditi mediati iis teneantur. v. c. quantitas vsurarum, materia tutelaris & in *Recess. nouissimo de 1654.* salutaria remedia ad abbreuiandum processum ordinarium. vid. Dn. Textor *ad illum Recess.* Non solet autem temere de his rebus & legibus priuatis disponi in Recessibus, partim quia magis ardua & publica solent adesse negotia, partim quia in legislatoriam Statuum potestatem impingi non debet. Hinc istiusmodi Recessus rariores, nisi in casu vbi Statuum interest, vt subditi iisdem legibus viuant, quale exemplum præbet *Recess. I. d. 1654. §. 170. sequ.* Denique quomodo Recessus diuidantur, item conficiantur & promulgentur, ex professo egit Dn. Mauritius *laud. dissert. §. 10. 13. 22.*

§. XVII. *Constitutio Pacis profana*, (vt in ipsis legibus vocatur) inter leges publicas Germanicas potiorem etiam locum occupat. Fuit quippe aliquando Cæsarea autoritas tam exigua aut nulla, vt si lis inter Ordines extitisset, il-

la non Iudicio ciuili submitteretur, sed præcedente diffidatione manu dirimiretur. Quæ res ansam præbuit tot arcibus extruendis quæ adhuc in colliculis cernuntur. vid. Speidel *in specul. v.* Faustrecht. Inprimis vero turbulentissimus Status Germaniæ fuit Seculo XIII. in fatali & infelici illo Interregno post Friderici II. obitum, vbi ea tempora inciderunt, vt non tantum iura ciuilia, sed & propemodum naturalia, & inde oriens vinculum communis socialitatis, per diffidationes, inuasiones, deprædationes proterue conculcarentur. Miser hic status Germaniæ durauit vsque ad Maximilianum I. Hic postquam primo instituisset huic malo tollendo R*egimentum*, deinde in eius locum surrogasset *Iudicium Camerale*, & Imperium in *Circulos* distribuisset, ne sententiæ eluderentur, cessauit paulatim illa violentia, & iudicii illius autoritas inualescere cœpit, proposito *pacis publicæ* Edicto pœna Banni seu proscriptionis munito. Illa pax publica, Germanice der Land-Frieden/ sæpius Imperii Recessibus, Instrumento Pacis Recessu nouissimo ac Capitulatione Leopoldi & Iosephi confirmata est. Quæ si quis collegerit, & Gailii duos libros *de pace publica* & Conringii *doctam dissertationem de Iudiciis Germaniæ* iis addiderit, huius rei cognitione affatim se instruere poterit. Rachel. *Ot. Noviom. p. 52.* Hinc pax publica seu profana est pragmatica sanctio perpetuo valitura vnanimi Imperatoris & ordinum consensu promulgata, de sibi inuicem vim publicam noninferendo, pœna in illos constituta qui secus faciunt. vid. Dn. Schweder. *I, P. part. gen. c. 3. §. 9.*

§. XVIII. Pacem profanam siue publicam excipit P*ax religiosa*. Origo pacis huius a Reformatione, quæ tempore Caroli V. contigit in Germania & Helvetia per Lutherum & Zwinglium. Ante illud tempus totus fere Occidens Romanæ Ecclesiæ ritus sequebatur, extirpatis & hæreseos crudeli supplicio affectis qui contra Pontificis nutum vel hiscere audebant. Nec sane supererant reliquiæ purioris cultus, nisi apud *Bohemicos fratres*, *Waldenses* & alios Wiclefi, Husfi, Hieronymi Pragensis doctrinæ addictos. Postquam igitur tali ratione Pontificium imperium ad summum fastigium esset euectum, adeo vt superstitiones mole sua laborare inci-

inciperent, ac multis gemitibus occultorum testium veritatis (quorum copiam exhibent Flacius & Gerhardus in *Confessione Catholica*) melior Status Ecclesiæ a Deo exoptaretur, tandem diuinis auspiciis duce Luthero, tum & fere eodem tempore, ope Zwinglii in Heluetia, iugum papale excuti cœpit. Quod initium porro? quis progressus reformationis fuerit? quid diuinum? quid humanum? in insigni hoc opere fuerit, iam nil attinet inquirere. Si cui vero hoc nosse volupe est, adeat *Historiam Lutheranismi* a summo Viro B. Dn. de Seckendorf aduersus Maimburgium Gallum ex Archiuo Saxonico-Ducali conscriptam; tum & Dn. Arnoldi Unpartheyische Kirch- und Ketzer *Historie & part. III, & IV. Addit.* vbi inueniet recondita quædam veram reformationem attinentia.

§. XIX. Ingentes vero hanc Reformationem turbas dedisse in Imperio, & cruenta bella excitasse, iusque nostrum publicum insigniter mutasse, peritus historiarum istius temporis non infitiabitur. Nam cum post Lutheri mortem res inter Carolum V. religionis prætextu Germaniam subiugare cupientem & Saxonem ac Hassum, præcipuos Euangelicorum eo tempore, ad arma deuenisset, victoria illius belli penes Cæsarem manente, vix erat, vt non extincta fuisset Euangelica Religio in Germania. vid. de *hoc Bello Schmalkaldico* Hortlederus, & in compendio Burgoldens. *ad Instr. P. part. 1, disc. 1.* tandem vero victricibus armis Mauritii Saxoniæ Electoris, quieti & paci Augustanæ Confessionis addictorum Principum consultum fuit per Transactionem Passauiensem an. 1552. initam & Pacem Religionis 1555. subsecutam, eamque A. 1566. Augustæ Vindelicorum aliisque postea Recessibus Imperii confirmatam. Non vero sine singulari bono Germaniæ contigit, vt tunc Imperatorium solium ornauerint Ferdinandus I. & post eum filius eius Maximilianus II. laudatissimi Principes & Religioni Euangelicæ haud obscure fauentes, mitiusque de ea iudicantes, quam alias moris est religioni Romanensium addictis. conf. Pauli Seruitæ *histor. Concil. Tridentin. lib. 1.* Vtut autem ipsorum tempore non deessent immania & sanguinolenta consilia papicolarum erga euangelicos, horumque multi in Italia, Hispa-

ſpania, Gallia crudeliſsime necarentur, in Germania tamen laudatorum Imperatorum moderatione tranquillum Euangelicæ religionis exercitium florebat.

§. XX. Horum veſtigia ſi preſſiſſent ſucceſſores, Matthias & Ferdinandus II. Germania bello, quo ter infelicior fuit quam regnum Troianum, carere potuiſſet. Et poſtquam Ferdinando II. bonus quidem Princeps, ſed clero ſuo nimis obnoxius ac ſuperſtitioſus, quem næuum fruſtra *pietatis* elogio ornat P. Lemmerman *in Eius Vita*, Edicto de ao. 1629. bona Eccleſiaſtica repetierat, quæ poſt transactionem paſſauienſem a ſecularibus eſſent occupata, Germania plenis velis in ſuum exitium & bellum ruebat, Sueco & Gallo in ſocietatis & prædæ partem venientibus. Experta tunc Germania eſt, quam inauſpicata *Vnionis* & *Ligæ* vocabula ſint, ſi non contra hoſtem extraneum, ſed vnius corporis ciues iſthæc inſtituantur. Euentus fuit, vt poſt multas inuicem clades, direptiones & deprædationes, omnium bellorum fructus, tandem Monaſterii ac Oſnabrugæ pax coaleſceret, vbi inter alia inſignia iura Statibus pleniſsime conceſſa, & plena libertas religionis fuit. Neque ſolum extenſa hæc eſt ad Auguſtanæ confeſsionis ſocios, vti ſe vocant, ſed etiam Reformatæ religioni, ceu vocant, addicti, pari iure, libertate, & ſecuritate cum reliquis Euangelicis gaudere debent. Indeſeſſo ſtudio Electoris Brandenburgici hoc debere Reformatos, aſſerit Rachelius *in Otio Noniomag. p. 56.*

§. XXI. *Articulus VII. Inſtrumenti pacis eſt*, qui in fine conſtituit, omnes tres religiones in Imperio, nimirum Romano-Catholicam, & duas Euangelicas, Lutheranam & Reformatam, paribus priuilegiis & iuribus debere vti. Vocantur propterea etiam *religiones Canoniſatæ*. Oppoſuit ſe quidem acriter huic tolerantiæ vt & ſeculariſationi bonorum Eccleſiaſticorum Papa Romanus edita per Nuncium ſuum Bulla. vid. ill. Dn. de Rhetz. *Iur. publ. lib. I. tit. 2. §. 137.* Sed irritus fuit eius conatus præualente etiam apud Catholicos publica ſalute. Bullam vero hanc refutarunt *Hornbeckius, Blondellus* ſub nomine Amandi Flauiani, & Ludouicus *de Monteſperato, Conringius*. Ceterum *an eo ipſo Principibus Euangelicis*

regale tolerandi etiam alterius religionis homines sit ademptum? merito quæritur, licet de affirmatiua decisione nullum videatur dubium esse, cum clerici & politici hactenus vnanimiter fere hoc persuadere voluerint. Verum maiori specie veritatis alii & moderatiores quidem prudentioresue ostenderunt, repugnare iuri naturali & primis principiis religionis Christianæ, vt & regulis omnibus bonæ interpretationis. Pacta ex mente & causa impulsiua paciscentium intelligenda sunt. Pontificii tempore pacis condendæ imbuti erant primo illo principio antichristianismi de non tolerandis dissentientibus in mysteriis fidei: Principes Euangelici contra, ex principiis Novi testamenti & Euangelii tolerantiam prætendebant. Ergo hi non poterant saluis principiis suis vrgere, vt ista clausula paci religiosæ insereretur, sed Catholici Principes necessitati cedentes illam inseri curabant, nullum alium adeo sensum inferentem, quam quod, si societas aliqua in Imperio alienæ religioni præter illas tres addicta oriretur, Catholici Principes non velint pace hac religiosa teneri, sed libertatem sibi seruent, ex principiis cleri Pontificii eam oppugnandi. conf. Dn. Thomasii Fürsten-Recht & *ad Monzamb.* Qui aliter explicant, impingere videntur in Ius Naturale & prima principia socialitatis; nec minus defraudant Principes *summo regali iure tolerantia christiana*, quæ vbi viget, ibi simul felix regimen & florentissimus Commerciorum status subsequi solet, dum indies numerus subditorum crescit ex illis qui, conscientiæ causa, præsidium & tutamen ibi quærunt. Quod Angliæ, Belgii & nunc terrarum Brandenburgicarum exemplo comprobat Autor der Remonstration an alle hohe Obrigkeiten in puncto des Gewissen-Zwangs an. 1700.

§. XXII. Igitur describi potest pax religiosa cum Dn. Schwedero *J.P. part. general. c.3. §.16.* quod sit *conuentio Imperatoris ac Statuum Imperii de religione Protestantium non minus quam Pontificia libere colenda, & de se inuicem, harum religionum intuitu, non turbando.* Optandum vero est, vt ea mens, ea moderatio animi semper sedeat summis Principibus Germaniæ, inprimis religionis pontificiæ, quo illi aures occludant aduersus Sirenum cantus.

Optandum porro fuisset, quo *Articulus IV. Pacis Ryswicensis* Euangelicis non iustissimam causam suppeditasset graues quærelas effundendi. Optandum denique, vt motus Palatini nuperi circa religionem, de quibus *Acta publica Comitialia* possunt consuli, non aliquando in nouam belli flammam erumpant, sed vt potius aures præbeantur Principum componentium summis Ministris, Svecico, Brandenburgico aliisque.

§. XXIII. Tali ratione defunctos nos credimus officio recensendi potiores leges publicas fundamentales statum Imperii Germanici formantes. Superest igitur vt dispiciamus paucis, an & in hunc censum jura Feudalia, & Canonica Ciuiliaq; in Germaniam recepta venire possint. Equidem quod primo attinet Ius Feudale, illud incunabula sua & originem debere videtur Germanis. Hi enim varias peruagati terras, suos mores & iura quoque circumtulerunt, quæ origine propria & ciuilia, paulatim vsu cœperunt plurium gentium esse communia. Etsi vero diuersis consuetudinibus feudalibus vsi sint Gothi, Vandali, Alemanni, Franci, Burgundiones, Saxones, Nationes omnes Germanicæ, Longobardicæ consvetudines tamen in regno Italiæ (quæ in libris feudorum memorantur) ita præualuerunt, conf. illustr. Dn. Stryk. *Exam. Jur. Feud. Cap. 1.* vt apud multas gentes ceu norma iuris & nexus feudalis receptæ, ideoque nomen iuris feudalis communis adeptæ sint. Hinc omnino Iuris publici Germanici aliquam partem constituunt. Nimirum quatenus consvetudines illæ feudales ad modum habendi feuda spectant, h. e. quatenus illustria Germaniæ feuda acquiruntur, conseruantur & amittuntur. conf. Ill. Dn. de Rhetz *Comm. Feud. pr.*

§. XXIV. *Ius Canonicum* vero vti antiquior eius receptio præ Ciuili euidens est; ita etiam non exiguam autoritatem legalem obtinuit inter Principes. Per hos vero intelligo Ecclesiasticos Principes Pontificios. Exemplum recens & plane illustre suppeditat nouissima Electio Coloniensis, vbi Princeps Bauarus id temporis Iosephus Clemens, pro sua electione, contra corriualem Cardinalem Furstenbergium, recte allegabt famosum *Capit. Scriptum 40. X. de Elect.* Quia enim Capitulum Coloniense in duas clas-

classes erat scissum, quarum vna eligebat Principem Bauaricum, altera vero postulabat Cardinalem Furstenbergium, in concursu electionis & postulationis, postulantium duplo maior exigitur numerus quam eligentium, qui cum non adesset, merito electus prælatus est, nam Cardinalis habebat pro se 13. vota Bauarus vero 9. conf. literæ Canonicorum eligentium, apud Pfeffing. *Vitriar. illustrat. L. 1. tit. 14. p. 313.* Ex eodem iure Canonico, & in specie *Cap. 4. X. de Translat. Episcop. Cap. 15. X. de Elect.* patet, quod Electores Ecclesiastici ea quæ ordinis sunt, vid. *A. B. c. 23.* antea peragere nequeant, quam iuxta allegata capitula Iuris Canonici sint consecrati & infulati. Inde factum est, vt cum 1630. coronanda esset Eleonora Augusta, Mantuana, nec Anshelmus Casimirus Moguntinus, nec Ferdinandus Coloniensis infula legitima gauderent, Ius huius Coronationis Philippo Christophoro Treuirensi cesserit. Add. Dn. Schwed. *Iur. publ. part. spec. Sect. 1. Cap. II. §. 33.*

§. XXV. Coronidis loco de *Iure Ciuili Romano-Iustinianeo* operæ pretium erit inquirere, quatenus illud in classem legum Publicarum Germaniæ recipi mereatur. Ab initio autem non placet hic recoquere, quæ iusto acrius inter *Taborem Conringiumque* sunt disceptata de autoritate & vsu legum Iustinianearum in Iure publico. Cum nonnullis enim doctrinis, quæ a Tabore magno strepitu sunt id temporis defensa, ita comparatum est, vt hodie de accuratiorum ICtorum applausu desperent. Præteriit enim illud tempus, quo cum Paurmeistero *de Iurisd. Imp. Rom. lib. 2. c. 6. n. 158. ineptum & ἀπολίτευτον* credebatur, *quod scripsit Autor Informationis Donavverdicæ, non ex Bartolo & Baldo Iuris publici cognitionem hauriendam esse, sed ex legibus publicis Germanicis.* Hodie apud Cordatiores in confesso est, illas in corpore iuris propositas leges, quæ pristinam Reipublicæ administrationem concernunt, nil ponderis habere posse, vbi per leges Imperii fundamentales, præcipue per Capitulationes Imperatorias, longe diuersa Imperium gubernandi ratio introducta est. Dn. Stryk *Vs. Mod. ff. Diss. prælim. §. 39.* Breuiter. Leges Ciuiles Iustinianeæ in quæstionibus statum Germaniæ publicum concernentibus nul-

iam habent autoritatē; bene tamen ſi conſiderentur Principes vt Domini rerū ſuarum, vt patres, vt mariti; quatenus ſcil. receptio doceri poſſet. Dico receptio. Nam regulariter Principes & Status non vtuntur inter ſe iure Ciuili. Domus Ducalis Saxonica in cauſa Iuliac. ita ſe declarat: daß die Chur-und Fürſten des Reichs/ als *Personæ Publicæ*, den *privat*-Geſetzen keines Weges unterworffen. *vid. Apol.* der 2. Schrifften ſo 1609. von den Chur-und Fürſtl. Häußern Sachſen außgegangen. p. 8. Factum quidem eſt, ut recepta ſint iura ciuilia in priuatis cauſis & Principum, ſed in ſubſidium, neque ſecundum apices, ſed cum differentia Ordinis & dignitatis illuſtris, præſertim recepto ſublimi ſuperitatis territorialis iure. In plerisque igitur cauſis Principum etiam inter ſe, v.c. teſtamenti factione & aliis, Ius Ciuile repudiatum eſt, quod eleganter nouiſſime deduxit rerum patriarum peritiſſimus vir Dn. Schilter *Inſt. Iur. Publ. l. c. tit. 9.* §. 2. & paſſim. Ratio vero ſecundum eundem cur iſtæ ſolennitates Ciuiles a Principibus & Statibus non requirantur, eſt, quæ ex dignitate Principali & illuſtriſſima nobilitate ſuperiore ſummaque Germanorum fide, ac legalitate harum perſonarum arceſſitur, qua ſalua intelligi debet iuris Ciuilis receptio, quippe quæ dignitas & prærogatiua ſine facto & conſenſu ipſorum nullo modo minui poterit.

§. XXVI. Vndeſimul manifeſtum fit, Brocardicum commune, quod in hac materia verſantibus vtramqve paginam implere ſolet, ſcilicet, *Principes inter ſe vel iure priuatorum*; eſſe ambiguum, lubricum & ineptum ſenſum procreare aptum. Regula deberet eſſe: *Principes inter ſe litigantes ex Iure Naturæ & Gentium, conſuetudinibus Germaniæ immemorialib9 iudicandi ſunt, niſi in hoc vel illo capite iuris ciuilis receptio, tanquā exceptio, doceatur.* Hoc vero inuertunt communiter cum imperitis ſutoribus, pedem calceo non vero calceum pedi aptare volentibus. Brocardica non ſunt contemnenda, ſi vtantur iis viri, qui ex regulis bonæ interpretationis habitum interpretandi poſſident. Sunt autem meri ſine mente ſoni in illorum ore, qui nil aliud norunt, quam ſecundum methodum cauſalem (inuentum in iure VVeſenbecianum hecatombe aut centum boum mactatione dignum!) aliquid conſcribillare valent.

§. XXVII. Poſſemus porro concedere vſum iuris Ciuilis dogmaticum in iure publico, modo legalis abſit. Verum & hic cautionem deſidero, ne ille vſus dogmaticus, ſiue illuſtratio legum publicarum ex legibus Romanis, ſit frigidus & affectatus. Saperet enim hoc febriculoſam Iuris Ciuilis oſtentationem a Monzambano toties inriſam, a qua igitur, polito hoc ſeculo qui ſapit, merito abſtinet.

(o)



DISSERTATIO III.
De
ORIGINE, FINIBUS ET PRÆTENSIONIBUS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

SUMMARIA.

Origo Imperii Germanici IV. periodis includitur. §. 1.

Status Germaniæ sub primis Cæsaribus Romanis, & Origo gentis Francicæ. §. 2.

Constantinus M. & Theodosius M. ruinam Imperii Romani insigniter maturarunt. §. 3.

Recensetur occasio qua Regnum Langobardicum & reliqua Italia ad Francos pervenit. §. 4.

Pipini & Caroli M. auxilia Pontifici præstita, & quid Patriciatus *dignitas fuerit.* §. 5.

Titulus Imperatoris a Carolo M. acquisitus quid importet? Rejicitur communis opinio, Pontificem & Urbem Romam tunc subditam plene fuisse Carolo. §. 6.

Quo titulo, qua Justitia Carolus M. hæc acquisiverit, & transactio ejusdem cum Græcis Imperatoribus. §. 7.

Ruina Francorum post Caroli M. obitum. §. 8.

Stirpe Carolingica in Germania extincta, ex Saxonibus electi Imperatores. §. 9.

Otto M. est fundator Imperii Germanici §. 10. *Exploditur opinio communis, Carolum M. Germanis acquisivisse Imperium, ibidem.*

Otto III. confirmavit hanc dignitatem, post ejus mortem decrementum Imperatoriæ potestatis. §. 11.

Transitus ad fines Imperii & inde ortas prætensiones circa provincias avulsas. §. 12.

Prætensiones Imperii circa subjectionem sedis Romæ §. 13.

Jus

§. I.



D de signandam primam Imperii Romano-Germanici Originem *IV. periodi*, in quibus Germania insignem mutationem status politici passa est, observandæ sunt. *Prima* harum ab initiis gentis Germanicæ usque ad Regnum Francorum : *Altera* a Regni Francici primordiis ad Carolum M. *Tertia* a Carolo M. usque ad Ludovicum Germanicum: *Quarta* a Ludovico hoc usque ad Ottonem M. deducenda est. Enim vero quod attinet ad primam

mam periodum, pro instituti ratione satis actum est de illa §. ,. *& seqq. Dissertationis praeced.* & præter allegatos ibi Auctores, inprimis evolvi meretur Magnif. Dn. Coccejus, *in Jurisprudentia publica in proem.* Igitur circa tria reliqua puncta potissima nunc nostra versabitur opera. Hæc enim statum Imperii nostri propius spectant, & sic ad solidam notitiam juris publici majus momentum afferunt. Inde dispiciendum erit, quomodo Imperii dignitas ad Francos pervenerit, tandem vero cum Regno Germanico sub Ottone I. sive Magno, æterno fœdere conjuncta sit. Quibus ex monumentis historiarum erutis, facilior erit delineatio finium Imperii Germanici, tum etiam prætensiones ejusdem formare, ut & de illis calculum ferre, in proclivi erit.

§. II. Quis fuerit status & forma Regionum Germanicarum usque ad Monarchiam Francorum, modo expositum est superiore Dissertatione. Seculo III. sub Cæsare Gallieno, Francorum gens, (vel potius *gentes*, assumto hoc libertatis nomine, vid. Kulpisius *ad Monzamb. C. I.* §. 3. 4.) Tacito nominetenus incognita, & forsitan sub *Tencteris & Chamaviis* latitans, super omnes gentes enitere cœpit. Icto enim cum Romanis fœdere, & jam tum nobilis, Trebellio Pollione teste, posteaque eo soluto, Rhenum transiit, ac *Toxiandriam* occupando, ut Ammianus Marcellinus refert *Lib. 17. c. 18.* Imperii fundamenta jecit, ac prælusit futuræ potentiæ. Hinc postquam maximam Galliarum partem subegissent, flexo velut victoriarum cursu, Rhenoque iterum superato, Alemanniam, & quicquid fere terrarum inter Mœnum & Danubium retro, in Thuringos extenditur, subegerunt. Clodovæus M. tunc Rex Francorum audiebat, ac celebri prœlio *Tolbiacensi* Adalgerionem Bojoariæ Regem eodem, quo Alemannos, vincebat prœlio Aventin. *Annal Boj. lib. 3. pr.* Insecuti sunt hunc plures alii Reges, qui in Annalibus Francorum occurrunt, non tamen omnes rerum præclare gestarum fama æque insignes. Verum Francicum Imperium Carolus M. longe lateque extendit per Germaniam, victis Tassilone Bavariæ Rege, & Vitekindo Saxonum Duce, conf. Exc. Dn. Coccejus *Jurispr. publica, Sect. I. Cap. 3.* qui ibidem eleganter commonstravit, totam sic Germaniam unitam auspiciis armorum Caroli Magni, *in septem provin-*

ciat seu populos, ab omni ævo fere distinctam fuisse, ut adeo hæc populorum divisio & facer quasi numerus, basis ac fons sit juris publici Germanici, unde origo Circulorum, Electorum, Archiofficiorum secularium Comitiorum, aliaque præcipua Capita possint deduci. Idem *C.* 7. § 26.

§. III. Successu temporis sub Carolo M. Regnum Langobardicum, tum & ipsum *Imperium Romanum* ad Francos pervenit. Occasio hujus rei & prima origo arcessenda *a Constantino* quem vulgo *Magnum* cognominant. Posito hunc laudabilem fuisse Imperatorem, merito tamen ipsi objicit Zosimus, gravis ac prudens Auctor, quod fixa Byzantii sede Regni, & sic dimotis a ripa Rheni & Danubii in Orientem Legionibus validissimis, ruinam Urbis Romæ totiusque Imperii insigniter maturaverit, Conf. Monzamb. *Cap. I. §. 10.* & ad eundem Pacificus a Lap. *Disc. 6. §. 4. seq.* Accessit Implementum hujus solœcismi politici â *Theodosio M.* qui diviso inter filios ignavissimæ indolis, Honorium ac Arcadium, Imperio, gentibus barbaricis, certatim in Imperium Occidentis irruendi, viam demonstravit. Initium fecerunt Gothi, qui sub Rege *Alarico* in Italiam moventes, Ao. 410. Romam occuparunt, & misere diripuerunt, Sigon *de Imper. Occident. Lib. 10.* Paulo post ab *Attila* Hunnorum Rege, urbis Romæ excidium deprecatus est Leo I. Pontifex, Dn. Schweder. *J. P. pag. 84.* Dein a *Genserico* Vandalorum Rege, Ao. 455. Sigon. *loc. cit. Lib. 14.* ab *Odoacro* Herulorum Rege, Ao. 476. Sigon. *cit. loc.* a *Theodorico* Ostro-Gothorum Rege A. 494. Sigon. *d. tr. Lib. 16* Dn. Coccejus *Jurispr. publ. cap. 6. §. 10.* Urbs Roma, quam *æternam* crediderant antea Romani, misere capta est.

§. IV. Tandem etiam Gothorum Imperium *per Langobardos* in Italia eversum est. Inde tria diversa Imperia in Italia orta sunt, (1) urbs Roma, quam Pontifex Græcorum Imperio subduxerat, (2) *Exarchatus Ravennatensis*, & (3) *Imperium Langobardorum*. Ad *illam* spectabat Roma cum territorio, vid. Conring. *de fin. Imp.* Ad *istum* pertinebant aliquot urbes quas Exarchus, vicario nomine Imperatorum græcorum, adversus Langobardos tutabatur. Conf. Erici Puteani *Historia Exarchatus*, Sigon, *de Regn. Ital. lib. 1. Illa* vero pars quæ Langobardis suberat, plane avulsa erat

erat ab Imperio, quod ipsi Constantinopolitani Imperatores agnoscebant, fœdera & Contractus cum iis celebrando. Conring. *de Germ. Imp. Rom. C. 4.* Duravit vero hic status usque *ad Aistulphum* Regem Langobardorum. Hic prioribus finibus non contentus, Ravenna expugnata, Exarchatui in Italia finem imponebat, dehinc Romam movens victricia arma, ipsum istius urbis nomen delere, ac *Gothiam* appellare statuerat. Carol. Sigon. *de Imp. occid. Lib. 13.* Commodum tunc acciderat Papæ, quod circa dimidium seculi VIII. Franciæ Reges *primæ stirpis Merovingicæ* desierant regnare, ultimo eorum *Chilperico* III. Anno. 752. tonso, & in monasterium detruso, evecto in ejus locum *Pipino*, qvi Caroli Martelli Majoris Domus officio functi Filius erat. Exinde incipiebat *secunda Francorum stirpe Carolingica*. Reges hi Carolovingi, qvi a Carolo Martello nomen adepti, origine & patria Austrasii, id est, Franco-Germani erant. Manus manum hic lavabat. Pontifex Zacharias in Galliam profectus approbabat tonsuram Chilperici, Pipiniqve electionem. Hic vicissim pro hoc favore, opem contra Langobardos promittebat. Veniebat Pipinus, & felicitate armorum Aistulphum adigebat, ad Pentapolim & Exarchatum Papæ restituendum. Erat igitur Pipinus liberalis de alieno, & qvod Græcis Imperatoribus debebat restituere, Pontifici donabat sive ex ambitione, sive ex superstitione. Vid. *Pacif. a. Lapide ad Monzamb. p. 585.*

§. V. Ceterum cum post mortem Aistulphi inter *Desiderium* & Pontificem, res iterum ad arma veniret, *Carolum*, Pipini filium, in auxilium vocat Pontifex. Hic autem Imperium Langobardorum plene delevit, dum Regno Francorum, præter Regnum Langobardorum, etiam reliqvias Imperii Romani in Italia, qvæ tum nomine Exarchatus veniebant, ut & *Advocatiam ac protectionem in Urbem Romam, sacramqve Sedem*, sub titulo *Patriciatus* adjecit. Qva de re extat Consultum Pontificis S P. Q. Romani de Anno 774. a The dorico de Niem, Protonotario Apostolico, ex Protocollo Curiæ Romanæ editum, & notis illustratum. Hanc Patriciatus dignitatem autem, jus Carolo tribuisse Pontificem eligendi, ordinandiqve sedem Romanam, & Imperium in Urbem exercendi, cum Conringio vulgo existimatur. Negat vero hoc Baronius *Annal. ad An. 474.* contra qvem adducitur Gral-

tianus, qvi *Distinc. LXIII. C. 22.* expresse asserit, qvod Hadrianus Papa cum universa Synodo tradiderit Carolo *jus & potestatem Pontificem eligendi, & ordinandi Apostolicam Sedem.* Asserit autem doctiss. Onuphrius Panvinius *in Vita Gregorii VII.* omnem illam narrationem Gratiani ex Anastasio desumtam fuisse. Cum vero hoc hodie in Anastasio non reperiatur, castratum eum putant, qvod Ecclesiæ Romanæ delentis qvæ non sunt ad palatum, non infreqvens esse solet alias. Hinc in *Annal. Francor. ad an. 796.* legitur; *Leo vexillum urbis Romæ ad Carolum transmisit, petiitq; ut mitteret, qvi populum Romanum per Sacramentum ad suam fidem firmarent.* Verum qvid solide huic rei subsit, seqventibus §. dispiciemus.

§. VI. Qvam magna vero auctoritas Caroli apud Romanos fuerit, videtur nihilominus comis qvædam reverentia erga Imperatores Græcos superfuisse apud Romanos, qvia ab initio abstinebant ab Imperatorio titulo tribuendo. Conf. Conring. *de Imp. Germ. Rom. c. 6.* Anno vero 800. feriis natalitiis coronatum a Papa Leone Carolum & ab universis fidelibus Imperatorem appellatum fuisse, annales memorant. Vid. Anastasius *in vit. Leonis.* Igitur ex communi opinione Urbs Roma tum Carolo subjecta fuit. Pertinet huc etiam Zonaræ in *vita Constantini & Irenes lib. 3.* testimonium: *Roma prorsus Franci potiti sunt,* Sic. *Annales Francorum ad h. an.* testantur, Carolum vi potestatis graviter inqvisivisse in Romanos, qvi Pontificem solio dejecerant. Imo *in Capitulis Francorum L. 6. C. 71.* Romani inter Caroli subjectos numerantur, & in Testamento Caroli apud Eginhardum, Roma inter metropolitanas civitates recensetur. Hinc *Missus* etiam nomine Imperatoris morabatur Romæ, qvi juri dicundo præerat, usqve ad Ludovicum, Lotharii filium, teste *Auctore append. ad Eutrop. apud Flacium in Catal. test. verit. & Goldast Tom. 1. Monarch. S. R. Imp.* Confirmat porro Teganus *in vit. Ludov.* qvod Stephanus, postqvam Pontificatum suscepisset (an. 816.) jusserit *omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.*

§. *VII.* Ex hisce igitur testimoniis scriptorum coævorum, plenum Imperium in urbem Romam a Carolingis & Ottonibus exercitum fuisse, communi opinione invaluit. Verum si libere dicen-

dicendum est, qvod res est, inde non conficitur, præter Advocatiam & protectionem in Urbem, summum Imperium in Legibus ferendis, tributis indicendis, constituendis Magistratibus sese exerens, habuisse Carolum M. & Successores. Qvæ vero sub obscurius ex Gratiano, Anastasio, & aliis afferuntur, potuerunt pertinuisse ad exercitium extraordinarium. Ideo non adeo absona opinio Monzambani est idem asserentis *de statu Germ. Cap. 1. §. 12.* seq. & ibi Dn. Thomas. *in schol.* licet dissentiat Conringius Kulpisius, Dn. Obrechtus aliiqve *ad Monzamb. loc. cit.*

§. VIII. Observandum nunc porro est, diversis juribus rexisse Carolum provincias in Italia acqvisitas. Regnum Langobardicum possidebat jure belli, nec amplius aliqvid juris supererat in illud Romanis. Hinc & Carolus Regni Francorum & Langobardorum titulos a Cæsareo nomine accurate distinxit. Ut ut autem singula regna suas haberent leges, suos Ordines, suaqve sibi Comitia: in causis tamen communibus etiam universalia Imperator Comitia celebrabat. Exemplum occurrit in tabulis confirmatoriis Osnabrugensis Episcopatus Anno 50. apud Cranzium *Metropol L. 1 C. 54.* ibi: *Carolus Imperator, Augustus, Romanum gubernans Imperium Dominus & Rex Francorum, Langobardorum, Frisiorum Dominator & Saxonum.* An vero æqve juste defendere potuerit titulum Imperatoris & jura inde dependentia, valde dubium est. Legitimi enim Domini erant Imperatores Græci, hi non dereliqverant Italiam, sed impotentes erant. Bellum qvoqve ex causa defensionis & patrocinii non sufficiebat ad Dominium Græcis eripiendum. Pontifex & populus summam potestatem, citra perfidiæ notam alteri deferre non poterant. Igitur titulus Imperii Romani fuit injustus, qvicqvid etiam Grotius dicat de I. B. & P. *L. 2. c. 9. n. 11.* qvatenus scilicet a Pontifice & Populo Romano contra voluntatem Imperatorum Græco-Romanorum Carolo fuit concessus. Postea tamen vitium purgatum est transactione. Transegit autem cum Carolo Nicephorus, qvi qvantum in ipso fuit, juri Imperatoris ac Prætensioni suæ in Italiam renunciavit, ubi simul limites Imperii Occidentalis & Orientis sunt constituti. Actum hoc est Anno 802 *Annal. Franc. ad h. ann.*

§. 9. Ab

§. IX Ab excessu Caroli M vero statim decrevit Regum atque Imperatorum autoritas, ac prudentia & potentia Franciæ Regum stirpis Carolingicæ, cum eo fere interiit. Maximum his conversionibus momentum attulit ipse Carolus M. divisione sua, cujus errorem licet postea fortuna corrigeret, tamen post ipsum Ludovicus Pius partiendo Regna, potentiam Francicam debilitavit valde. Dum enim Ludovicus Pius filiis suis vivus Regnum distribuit, inde odia ac bella civilia nata. Ludovicus enim & Carolus Calvus fœdus pacti contra Lotharium fratrem natu maximum, quod exhibet Nitardus *Lib. 3.* Regnum Franciæ Orientalis & Occidentalis inter se partiti sunt, in *Aquis Palatio*, prima tunc Franciæ sede. Nithard. *Lib 4. pr.* Post acre prœlium in Burgundia commissum, in quo victus Lotharius fratribus pacem obtulit, ubi divisio ita facta, ut Lotharius natu major obtineret Lotharingiam, ab ipso primo sic vocatam, nec non provinciam Narbonnensem, ut & Italiam cum Imperii dignitate. Ludovicus Germaniam cum utraque Pannonia; Carolus Franciam Occidentalem, sive Neustrasicam & Gallicam. *Annal. Fuld.* ad an. 843. Baluz. *Tom. 2. Capitul. p. 195.* Regino Abbas Prum *p 58.* Hinc Ludovicus primus Rex Germaniæ nuncupatus est, cujus Regni fines, prout fuerunt eo tempore, descripsit H. Conringius in æterno opere *de finibus Imperii L. 1. C. 3.* Ab eo tempore conjunctio hæc utriusq; Franciæ soluta & Francia Germanica Ludovico Germanico attributa, solenniq; pactione Fontanidica confirmata est. Inde Germania suos seorsim Reges habuit Regnum separatum & independens, neque Lothario Imperatori, nec Carolo Calvo Galliæ Regi obnoxium. A Ludovico igitur Germanico usque ad Ludovicum IV. Arnulphi Filium, ex stirpe Carolingica ultimum Germanorum Regem, penes *Franco - Carolingicam lineam* mansit Regia dignitas. Hac vero extincta, Germania libero Electionis jure usa, ex Gente *Franco-Germanica* & deinde *Saxonica*, designavit Reges.

§ X. Summa rerum Germanicarum igitur ad Saxones tandem pervenit. Conrado enim Franconiæ Duci & Regi electo An. 912. successit Henricus I. ex stirpe Wittekindea oriundus, Saxoniæ Dux An. 919. quem excepit Filius Otto M. Hic a Pontifice Johanne

Johanne XII. ad liberandam Italiam, a Tyrannide Berengarii junioris vel II. oppressam, revocatus, in Italiam cum exercitu contendit An. 961 Mediolanum pervenit, Regnumque ex sententia Principum atque Episcoporum Italiæ delatum suscepit, Berengarium in ordinem redegit, ac denuo turbas excitantem, regno privavit. Quo peracto, Romam omnium magna lætitia ingressus est Otto I. An. 962. moxque a Johanne XII solenniter inauguratus est in Imperatorem Romanum, hocque Pontifice ob scelera deposito, & Leone VIII. substituto in ejus locum, ab illo ut & S. P. Q. Romano deinceps Otto M. sibi, ac omnibus successoribus suis, pactus est jus atque potestatem, eligendi Romanum Pontificem & inaugurandi Episcopos, & eadem jura protectionis in urbem & sedem Romanam, uti Carolo M. collata fuerant *Vid Concilium Roman. in hac causa an. 963. habitum.* Melch. Goldastus *Tom. I Imp. Const. p* 217. Nescio igitur an communis illa & inveterata opinio, quod Carolus M. Imperium acquisiverit Germanis, contra Gallos valide possit defendi. Licet enim daretur Carolum M. origine fuisse Franco-Germanum, tamen ille non desinit esse *Franco-Gallus*, quia post mortem Pipini, in divisione Franciæ, Carolo obtigit *Francia-Neustrasica*, sive Gallica & Occidentalis, in qva & potentiæ sedem fixit & animū manendi habuit. Quamvis autem postea Carolomanno Fratre & Rege Franciæ Austrasiacæ an. 754. mortuo, Franciam quoque Orientalem seu *Austrasicam* acquisivit, servato licet utriusq; discrimine, & salvo utriusque jure, non potest tamen, dici huic solum dignitatem Cæsaream, exeunte Seculo octavo, quæsitam fuisse a Carolo.

§. XI. Licet igitur quemlibet hic suo sensu lubentissime abundare patiar, nollem tamen ego lubrico hoc titulo & argumentis uti, cum solidiora adsint. Ottoni I. sive Magno Germania decus Cæsareum acceptum ferre potest. Hic enim Imperium Romanum (iisdem conditionibus haud dubie quibus Carolus M.) cum Germania æterno fœdere conjunxit vi Pactionis cum Pontifice Romano inito, ut qui inposterum Rex Germanorum esset electus, simul Imperator Romanus esse deberet. Repetita tunc fuit Lex Regia Carolo M antea lata, quam refert Gratianus *Can XXIII, dist. 63.* Goldast. *Tom. I. Const.* Petr. de Marca *de*

Conc. Sacerd. & Imp. Lib. VIII. C. 19. Hic enim Imperium Romanum a Cæsare fundatum, ab Augusto confirmatum, sub Augustulo pene eversum, a Græco-Romanis postea vero restauratum, & a Franco-Gallis iis iterum ereptum, sed postea derelictum, cum Germania æterno fœdere conjunxit, idque jure belli, ex nova eaque diversa causa, pulsis Tyrannis Italiæ, acquisivit, cujus posteri & successores ultra septingentos annos etiam retinuere. Conf. Conring. *de Germ. Imp. Rom. & de finibus Imperii C. 9. & 10.*

§. XII. Otto III. Ottonis M. nepos autem cum videret, secum interiturum esse avitum Imperium, repeti denuo fecit Legem Regiam, sicut sub Ottone M. constituta erat, ut apud solos Germaniæ Principes jus eligendi Regem firmum maneret, qui mox a Pontifice consecrandus esset Imperator. Conring. *de fin. Imp. Cap. 9.* Successit Henricus cognomento Sanctus, cujus extat constitutio apud Card. Baronium *ad an. 1014.* qua Sedem Romanam multis ornavit privilegiis, reservata tamen Imperio summa potestate vel potius protectione. Conf. Dn. Schilter. *Diss. de Jure publ. §. 11. seq.* Itaque cum tres illæ respubl. Regnum Germaniæ, Langobardiæ, & Advocatiæ urbis Romæ, æterno fœdere coaluissent, ab ea, quæ opinione erat augustior, devolutum est nomen in totum corpus, magis tamen consuetudine populari, quam publico decreto. Conf. Monzamb. *loc. cit.* Nec immerito sibi adhuc dum hodie, ex perpetuo isto fœdere, Germaniæ nostræ Reges titulo Romanorum Imperatorum vindicant, si Bœcleri Philosophiam *in Dissert. contra Blondellum p. 14* sequi placet. Sub hisce igitur Ottonibus in summum felicitatis culmen evasit Germania. Duravit sub Henrico II. sive *Sancto.* Sub Conrado II. sive *Saliquo* accessit ad Germaniam, præter Lotharingiam, & insignes Austrasiæ Regiones, Regnum Burgundicum, quod ejus Rex Rudolphus III liberali donatione, sive testamenti factione Conrado assignavit. Wippo *in Vita Conradi II.* Chappeovilius *in Chron.* & Paradinus *in Rebus Burgundicis.* At sequenti seculo XI. *Sub Henricis IV. & V.* magis ac magis lapsa est Imperii dignitas, invalescente indies auctoritate Pontificum, fastidium Germanicæ protectionis sapiente, toto insuper orbe Christia-

Christiano fraude & superstitione fatali capto, ac in adorationem Romanorum Pontificum ruente. Inde factum est, ut laudatissimus & fortissimus Imperatorum Henricus IV qui bis & sexagies pugnaverat, Hildebrandino furori tandem succumberet, conf. *elegant. Differt.* Celeb. Dn. Schubarti *de Henrico IV.* filius autem *Henricus V.* ab initio infelix instrumentum Tyrannidis papalis contra ipsum Patrem, sero sapere incipiebat, ac tandem Paschali II. dimidiam potestatis suæ, scilicet electionem Episcoporum cedebat. Cum *Friderico II.* autem tandem prisca Cæsarum auctoritas & Germanici Imperii decus prorsus concidit, & non gradu modo, non cursu, sed præcipite quodam lapsu, uti Conringius *de fin. Imp. C.19.* loquitur, corruit. Factum inde, ut certatim florentissimæ provinciæ a corpore robustissimo avellerentur, & nil fere nisi *justa Prætensiones* manerent Germaniæ; quas paucis jam excutere animus est.

§. XIII. Eo clarius autem nunc nobis constabit de prætensionibus Imperii, quo magis hactenus de origine & finibus solliciti fuimus. Reliqua jam eleganti opere præstitit Conringius, quod ex merito æstimatur, hinc ne actum agamus, potiores provincias & jus Germaniæ in illas, tantum in medium adducemus. Ab initio vero quilibet, ut puto, lubenter mecum fatebitur, Carolum M. ejusque successores, & inter hos Germanos Imperatores, accepto Imperatoris titulo, non Imperium in totum aut maximam partem terrarum orbis, aut provincias omnes, aliquando Imperio Romano subditas, accepisse. Hinc cessant prætensiones illæ, & omnibus derisui foret, qui cum veteribus Jctis & speciatim Bartolo vellet delirare amplius, ac sub hæreseos crimine injungere, Imperatorem pro Domino Mundi, si non actu, jure tamen habendum esse. Has ineptias plenius castigavit Conring. *de fin. Lib. 1. C. 1. & de Germ. Imp. Rom. C 2. seq.*

§. XIV. Offert vero sese primo loco *Italia*, & in hac sedes Pontificis in urbe Roma, & quæ ad istam pertinent; postea & Regnum Italiæ, sive Langobardicum perpendi meretur. Equidem quod attinet ad Imperium urbis Romæ Patrimoniumque Petrinum, ultra protectionem, juraque inde dependentia, vi hypo-

theſeos ſupra aſſumtæ nihil ſupereſt juris in illas. Et vix eſt, ut & hanc non præſcriptam eſſe, dicamus. Qvamvis enim Conringius hanc præſcriptionem interruptam eſſe acriter contendat de *fin. Imp. Lib. 1. C. 21.* quem ſequitur Bœcler. *Notit. Imp. Lib. 2. Cap. 7. p. 17.* Non tamen fruſtranea videntur quæ urget pro Pontifice Dn Henniges *in annot. ad Becker. Jus publ. Lib. 1. C. 2.* ſcilicet poſt obitum Ludovici Bavari vel Caroli IV. plus quam annis trecentis quietiſſime & continue res ſuas gerentes liberrimæ civitatis more, haud dubie præſcripſiſſe, deſerente Imperio & ſilente, nullaqve Protectioni olim adhærentia jura exercente; & ſane nil commodi inde, ſed lerna malorum in Germaniam redundavit. Certum enim eſt, a titulo Imperatoris, & corona Romana derivandum eſſe fontem tot perſecutionum & vexationum, qvibus per aliqvot ſecula nulli alii Reges, præter Germanicos, fatali temporum ſocordia exagitati miſere ſunt a Pontificibus, & totius Hierarchiæ membris, a Capite ſuo dependentibus. Senſit hoc Rudolphus I. fundator Domus Archiducalis, hic qvoties admoneretur, ut in Italiam proficiſceretur ad Coronam Imperialem petendam, ſemper hoc declinavit, adductis ex notiſſimo Apologo verbis: *veſtigia me terrent.*

§. XV. Fortius jus igitur Imperium noſtrum habet in reliqvam Italiam, qvatenus Provincias Regni Langobardici complectitur. Qvæ Provinciæ olim ad illud pertinuerint? qvi fines? latius proſeqvitur Conringius *de fin. 6. Cap. 23.* Qvantum autem ex monumentis Hiſtoriarum patet, clarum eſt, Ottonem M. pro ſe & Succeſſoribus Regnum Langobardicũ in poteſtatem recepisſe, ac cum Germaniæ Imperio conjunxiſſe. Eo tempore per Proceres ab Imperatoribus dependentes rectæ ſunt provinciæ iſtæ. Proſtant etiam adhuc literæ & mandata Imperatorum illorũ ad præfectos & Comites Italiæ, qvorum mentionem injicit Dn. Schurtzfleiſchius *Diſſertat. de Jure Auguſtin Italiam.* Inde eſt qvod Reguli Mediolanenſes Vice-Comitum titulum per longum tempus geſſerint. Poſtea hiſce vicariis plenam poteſtatem in iſtas provincias venditam fuiſſe a Rudolpho I. aſſerit Sigonius. Sed hoc refutat ſolide Conring. *de fin. Imp. C. 23.* tandem vero *Galea-*
cii

cii tempore Imperatorum *Lützelburgicorum*, Caroli IV. & Venceslai, opibus cumulati, ut intra limites Præfectorum se continere, ex indole ambitionis humanæ, indignum iis videretur, pecunia, fraude, vi effecerunt, ut imperante Venceslao ad Italiæ potioris dominatum contenderent. Vid. Theod. a Niem. *Lib. IV. C. 30. Nemoris Unionis, Villanius, Corius, Ripamontius*, historici. Itali. Machiavellus *Hist. Florent. l. 2. 3.* Inde initium Imperii Civilis Italiæ Principium, qvod summæ potestati respondet & territorii nomine definitur. Uti vero tunc Johannes Galeacius ad hæreditarium insubriæ Principatum pervenit, ita alii, erecti ejus exemplo, præfecturas & vicarias dignitates cum perpetua, Regibus Germanicis tamen devincta potestate, commutarunt, & qvi antea Præsides Provinciarum & Magistratus erant, Principes salutabantur, sub Ducum & Marchionum titulo. Idem igitur fatum fuit Italiæ, qvod Germaniæ, & paribus auspiciis utraqve amplissima Regio, varios Principes Dominosque nacta est, & adhuc agnoscit. Illa tamen differentia aderit, qvod Germani Principes hujus dignitatis possesionem multo ante adepti sint, & inde ab ultimis Regni initiis jus pacifcendi cum Regibus suis sibi vindicarint. Contra Italiæ Proceres Ottoni M. & successoribus subjecti, demum seqvioribus temporibus sub Carolo IV. & Venceslao, Principum potestatem in suis Provinciis acqvisiverunt add. Dn. Schurtzfl. *Diss. de Jur. Aug. in Italiam* §. 13.

§. XVI. Qvamvis igitur a Venceslao ducatur principium Imperii civilis in Italia constituti, summæ potestati tamen devinctum fuit, & a Regio Germanico temperatione qvadam dependens. Probatum dedit solidissime ex Instrumentis & tabulis publicis Conringius *de finib. Imp. Cap. XX. XXI. XXII. XXIII.* paruisse Italiam usqve ad Interregnum. Nec ullam partem postea exemptam esse, operose docet Limnæus *Jur. Pub. p. 1. C. 9. & in Addit.* manetqve hodie insigne Coronæ & Archi Cancellariatus Regni Italiæ. vid A. Bulla, *tit. 1. §. 11. Tit. XXVI. § 4.* Imo ipse Sabaudiæ Dux frustra se vocaret *Principem & Vicarium S. Imperii*, si nulla hujus Jura in Italiam superessent.

§. XVII. Qvo vero hoc clarius fiat per partes & singulas Italiæ

provincias eundum erit, initio facto a Duce Sabaudiæ. *In Instrum. Pacis Cæsareo-Gallica*, Galli stipulantur, ut Duci Sabaudiæ investitura non denegetur; Ille vocatur ad Comitia ubi locum habet post Brunsvicenses & alios Duces. Matriculæ est insertus, eiqve adscripti sexcenti Pedites, & ducenti septuaginta septem Eqvites. Trecentos florenos confert ad Cameræ sustentationem & ab hac etiam, teste Gylmanno *in symphorem. voc. Bannum*, proscriptus est aliqvando. In *Capitulationibus Leopoldi & Josephi* §. 4. Jura ipsius asserta. Conf. Furstener *de suprem p. 52*, Schurtzfleisch *de jure Augusti in Italiam* §. 13.

§. XVIII. Ducatus *Hetruriæ* consilio & opibus Medicæis fundatus. vid. Machiavelli *Historia Florentina*. Auspicio beneficioqve Caroli V. constitutus est, annuente Clemente Pontifice, ut Gentis suæ potentiam ibi fundaret. *Senarum* ditio a Philippo II. Subfeudi jure ipsis concessa, & cum Imperio ad qvod pertinet, & a qvo Hispanus suscepit, etiam conjuncta. Hinc decreto Pii V. qvo Cosmum *Etruriæ Regem* appellare voluit, intercessum est a Maximiliano II. auctoritatis suæ & Imperii causa, qvod unus ille Imperator Augustus, & Rex Italiæ esset, neqve alius in Italia Imperiali & Regia Principes creare posset. Nihilo magis Pisanæ urbis juri renuntiatum est. *Vid. Dn. Schurtzfleisch. loc. cit. 26.* Merito igitur Thuanus gravis & rerum peritus historicus testatur, Cosmum pro fiduciario Imperii Principe semper agnitum & habitum, ejusqve Filium & successorem Franciscum, in paterna dignitate & Magno Etruriæ ducatu a Maximiliano II. Cæsare confirmatum fuisse, qvod nemo sit, qvin existimet, a summo directoqve Cæsaris dominio proficisci. *Lib. 54. & 60. Hist.*

§. XIX. Mediolani ducatus in *Recess. 1547.* §. 3. vocatur **des Heiligen Römischen Reichs Eigenthum**/conf. etiam Schurtzfleisch loc. cit. Nihilominus defunctus Rex Hispaniæ Carolus II. de hoc Ducatu testamento disposuit, qvod an æqvo animo sint laturi, qvorum interest, dies docebit. Mantuæ Ducatus beneficio & fide Imperio obligatus est, de hac re dubitare non sinit *Instr. pacis Cæsareo-gallic. Artic. 97.* ubi conventum, qvod investituram debeat recipere, & in summis tribunalibus conve-
niri

niri possit. Add. Fursten. loc. cit. eandem obsequii gloriam Cæsari debet vi dicti Instrum. Pacis, *Guardistallum*, vel ut hodie vocatur, Gvastalla, item *Novellara*, *Bozzolo*, *Castiglione*. Schurtzfleisch l. c. Mutinæ ac Regii Ducatus feudi nexu Imperio obstrictos esse patet satis ex Conringio *de finib. Imp. cap. 23.* Sic Ferdinandus II. Duci Francisco Mantuano denuntiavit ab armis desistere, sub pœna amissionis beneficiorum, vid Auctor. *de Justitia armorum Imp. Contr. Mutinæ Regiique Ducem ap.* Schurtzfl. *l. c.* §. *25.* Supersunt inter Principes Italiæ Duces *Parma* & *Placentia*. Circa hos, uti sæpius, ingenio quam judicio promptior Gregorio Leti *dell' Italia Regnante part. I. L. 5. p. 258.* valde aberrat a vero, quando Parmensem a Jurisdictione Imperii plane eximit. Decepit forsan ipsum, quia Parma & Placentia Feuda Pontificis hodie sunt. Ast & huic, in specie Paulo III. Farnesiorum ex gente, a Carolo V. primum concessa, salvis tamen Imperii summis juribus, quæ Cæsarem vi jure jurandi Electoribus dati, non omnino alienare posse, notum est.

§. XX. Inter Respublicas porro Italiæ *Veneta* & *Genuensis* maxime eminent, ubi & dispiciendum, an & Imperio Jura supersint in illas. Quis fuerit Venetæ urbis status tempore Caroli M. & successorum, eleganter exponit Auctor *Scrutinii libertatis Venetæ C. 1. 2 3.* (qui est *Alphonsus de la Cueva* Legatus Hisp. ad Venet.) simulque probat, Caroli Imperio subjectam fuisse, contra quem *Crassus, Contarenus, Vianolus*, scriptores Veneti disputant, magis tamen invectivarum atrocitate, quam rationum soliditate, judice Dn. Schiltero *Inst. J. P. Lib. IV. tit ult.* §. *41. seq.* ubi simul ex privilegio *Ottonis III.* Venetis concesso, aliisque documentis & testimoniis coævis comprobat Dominium directum in Venetos. Hinc laudatus Auctor Scrutinii *Cap. 16.* §. *49.* asserit, Venetos ante annum MCCCC. pro liberis se nunquam gessisse, & adducit simul privilegium cudendæ monetæ a Rudolpho I. adhuc Venetis concessum. Imo Conradus Vecerius *de reb. gest. Henric. VII. ad an. 1311.* testatur, Legato Imperatoris tributum, pro veteri consvetudine, solutum fuisse. Quam humiliter etiam Legatus Venetorum Justinianus Maximilianum 1509. allocutus sit, videri potest ap. Gvicciar-

ciardinu *histor. ad h. ann. Conring. de fin. Imp. L. 2. Cap. 23* qui ibidem non audet definire, an Veneti plene præscripserint hæc jura.

§. XXI. *Liguria* quoque ejusque Caput *Respublica Genuensis*, Henrico VII. obediens fuit, eumque Principem ac Dominum appellavit apud Vecer. *in Vit. Henr. VII.* Perperam autem Bizarrus *Histor. Genuens. L. V. p. 98.* postquam hanc subjectionem erga Henricum recensuisset, adjicit; *primum hunc fuisse externum Principem*, quem Regem & naturalem Dominum, cujus in Ditione & potestate erant, nominare debuisset. Eodem jure *Sardinia* Liguribus relicta & fiduciario nomine ab Imp. Friderico I concessa. Ubert. Folietta *Historia Genuens. L. II.* Ab eodem Imperatore jus cudendi monetam 1146. primum impetravit, idque cum Cæsaris Imagine Radevic. *de reb. gest. Frideric. I Lib. 2. C. 9.* Hinc cum superiore seculo Ferdinandus in causa Marchionis Finaliensis gravem sententiam ferret, Respubl. tandem etiam paruit. add. Dn. Schilter. *J. P. Lib. IV. tit. ult. § 54.*

§. XXII. Utut vero hæc jura Imperii in Italiam clariora sint, quam ut negari possint, nihilominus tamen non æque par auctoritas Cæsarum in Italia fuit. Inciderunt enim ea tempora, ubi non semper Cæsarea Majestas armis & potentia satis instructa fuit, ad exercendum jus in invitos. Regnum quidem sine jure latrocinium audit, sed jus sine potentia, miseria est. Vidimus superiori bello Gallo-Sabaudico plus a Cæsare armato per paucos annos ibi effectum esse, quam ab omnibus Antecessoribus, Carolo V. excepto. Illas pecuniæ summas, hiberna & alia ad bellum necessaria, in commodum Imperii germanici, frustra exegissent utut optimo jure debita, Cæsarei Commissarii, Comites de Caraffa & de Breuner, a Florentino, Mediolanensibus, Genuensibus, Mantuano &c. ni armis suffulti fuissent. Occasio igitur fuit tempore belli renovandi jura, stabiliendi autoritatem, quæ neglecta satis erat. Eadem jura inposterum clarius asserere occasio erit, ubi invictissimus Imperator Mediolanum, utpote feudum Imperii, Caroli II. ultimi Regis Hispaniæ testamentariæ Dispositioni minime subjicere cupit, & jura sua ac Imperii armis vindicare paratus est. Quæ res qualem exitum sortietur, dies docebit.

Ceterum

Ceterum Prætenſiones jurium tunc demum bonæ & validæ, ſi opibus valeas & juſtitiæ pondus addere qveas. Reliqvæ Prætenſiones ſunt ſimiles umbræ, qvæ qvidem ſemper corpus ſeqvitur, nec tamen poteſt apprehendi.

§. XXIII. Qvare in reliqvis prætenſionibus Imperii circa Regnum *Arelatenſe* & alia breviores erimus. Licet enim vel accuratiſſime fines illius Imperii perſcrutemur, parum tamen, aut nihil ſpei ſupereſt, illud recuperandi, prout nunc aſpectus politici ſunt. Incidimus in illam temporum difficultatem, ubi poſſeſſa conſervare, induſtriam, virtutem & prudentiam reqvirit, tantum abeſt, ut illa, qvæ qvidem ad Imperium olim pertinuerunt, & non optimo titulo ab ipſo avulſa ſunt, recuperare ſpes ſit. Nihil enim eorum effectum hactenus eſt, aut effici potuit, licet ſemper Auguſti audiant Imperatores, & ad recuperanda avulſa in omnibus Capitulationibus adſtringantur. An futura tempora & fata Germaniæ propitiora extitura ſint, Deus & dies docebit. Interim qvi ſcire cupit *Regni Arelatenſis* originem, fines, avulſionem, a Corpore Imperii Germanici, adeat celeberrimorum virorum, Strauchii *diſſertationem de Regno Arelatenſi*, & Schurtzfleiſchii *Burgundiam veterem*. Longam etiam qverelam & diſputationem prolixam ſatis diligenter texuit erudite Limnæus *Jur. publ. I. 9.* et inprimis *in Add. tom. 2*, Conring. *de finib. Imp. C. XX.* Nuperrime etiam *prodromo Juris publ. emiſſo* promiſit Thomas Kneſebeck qvod vindicias Prætenſionum Imperii contra Gallos, *Blondellum, Puteanum, Matzereum* ſit adornaturus, fretus *Petri Saxii Pontificio Arelatenſi*, qvi liber rarus eſt, cum Peyreſcii conſilio ſuppreſſus fuerit, qvia Germanis favebat. vid. Gaſſend. *in vit. Peyreſc L. 4 & Chifflet. in Vind. Hiſp Capit. 13.*

§. XXIV. *Comitatum Provinciæ* olim fidei nexu alligatum Imperio fuiſſe, aſſerit Böcler *not. Imp. p. 27.* nixus auctoritate Math. Pariſii *in vit. Henric. III. Angl. Reg.* Verum non ſolum hic teſtatur hoc, ſed etiam Goldaſtus *P. 3. Conſt. Imp. p. 361.* Diploma exhibet ad *an. 1190.* ubi idem aſſeritur, unde & in Matriculam Imperii relati reperiuntur *Arauſionenſes* Principes, & *Comites Provinciæ ac Alboni.* Brower. *annal. lib. 16. p. 22.* Accedit qvod in Arau-

 ſio-

sionensi Principatu Academia auspiciis Imperatoris evecta, privilegia monetaria & alia ab eodem data sint. Ast hæc argumenta non sunt omni exceptione majora, Conf. interim Conring. *de fin. C. p. XXV.* Alsatia qvoqve olim ad Regnum Arelatense pertinuit, sed Monasterii Gallis cessa, non tamen tota, qvod ex actis publ. recenset Kulpisius ad *Monzamb. c. 2. §. 1.*

§. XXV. In *Burgundiam* & Principatum *Cabilionensem* salvum esse Germaniæ imperium directū pluribus probat Conring. *de fin. C. 25. p. 927 Helvetiorum Pagi* [Cantons] Regni Burgundici ambitu olim qvoqve continebantur, & satis diu Imperium Germanicum ab eoq; constitutos Præfectos agnoverunt. Horum vero insolentiæ pertæsi, in libertatem semet asserere cœperunt. Initium fœderi fecerunt *Urii, Schwizii & Underwaldii*, Genebrard. *L. 4* qvibus postea reliqvi sese associarunt. Qvamvis itaqve avellerentur a corpore reliqvo, postea tamen reverenter Majestatem Imperii coluerunt Tandem vero in *Instr. Pacis Osnabrug. & Monast. art. 6.* a Jurisdictione Imperii tredecim Pagi plane liberi declarati sunt. conf. etiam Theatrum Europæum *tom. 6. p. 120.*

§. XXVI. *Regnum Lotharingicum vetus*, citra dubium etiam olim ad Imperium pertinuit. Conring. *de fin. Cap. 26.* seq. *Ducatus Lotharingicus* vero, ab An. 1636. a Gallis misere laceratus, atqve 1670. pene devoratus, an 1679. itertum Duci promissus, & Anno 1697. tandem Pace Ryswicensi demum restitutus est. Episcopatus vero *Metensis*, *Tullensis* & *Verodunensis* occasione dissidiorum Religionis, Germaniæ semper infaustorum, sunt subtracti ab Henrico II. Rege Gallorum, ut hinc in illos amplius nihil prætendere valeat, ut ut enim Galli pessimo titulo ab initio illos occupaverant, postea tamen Instrumento Pacis plenum jus illis acqvisitum est, ut isti qvidem nunc extra Imperium censendi sint. Vid. Conring. *de fin. Cap. 6. 7. 26.*

§. XXVII. Superest, *Belgium*, sive Germania inferior XVII. Provinciis comprehensa. Post varia fata temporum mutationesqve politicas, tandem in Domum Burgundicam confluxere. Sub hac tanqvam partem Imperii consideratum fuisse, varia in-di-

dicant, Ad Comitia Imperii tanquam alii Principes vocati sunt Burgundiæ Duces. Et Philippus bonus vel ipse Comitiis interfuit, vel legatos misit. Carolus audax a Cæsare petiit Rex creari, non hoc facturus, si existimasset, Cæsari & Imperio illas non obnoxias esse. Extincta autem cum Carolo hoc domo Burgundica, connubiali jure ad Maximilianum pervenit Belgium. Adjecit Carolus V. *Transisulaniam, Grœningam, Ultrajectum* & imperio tam arcte univit, ut & sub *Circuli Burgundici* titulo Germaniæ incorporaret, constituta certi oneris in publicum conferendi summa, videantur Tabulæ pacti 1548. inter Carolum & Imperium initi, quas velut omnium Imperii jurium superstitum basin supponit Conring. *de fin. Cap. XXVIII.* Verum cum sub Philippo II. Rege Hispaniæ, pertesæ nonnullæ Provinciæ crudelitatis Hispanicæ, protextu Religionis, exercitæ, deficerent, res post octogenarium bellum eo devenit, ut an. 1648. Philippus IV. *septem Provincias fœderatas* liberas & independentes declarareret, Ferdinando & Imperio ne quicquam movente. Remansit ergo Belgium Regium, vi cujus Rex Hispaniæ beneficiarius Imperii, Conf. Londorp. *Act. publ. Tom. IX. Lib X C 150* Inciderunt vero postea adeo fatalia Hispaniæ tempora, ut Galli optimam partem Circuli Burgundici reliquiarum armis afferent, qui etiam propterea in hodiernis Comitiis 1668. petierunt, ut tanquam membra Imperii admitterentur, sed non obtinuerunt. Dn. Fritsch *Elect jur. publ p 1. C. 12.* Balth. Venat. *relat. Comit. 1 n 95.* causas politicas inquirit Fürstenerius *Epist. p. 47.*

§. XXVIII. Ultimo loco *Livonia* & *Borussia* superest, ubi Imperio jura salva videntur. Equidem de fatis Livoniæ consulatur Kelch *in Chron. Livon.* 1695. & Christian. Hartknoch. *de rebus Prussicis Lib. I. C. 8.* Summatim res ita se habet: Livonia a Germanis Sec. XIII. obtentu Religionis subacta est, Penes *Magistrum Ordinis Crucigerorum*, tum & Archi-Episcopum Rigensem ex eo tempore summa rerum fuit. Status hic duravit usque ad an. 1558. ubi Czar Moscoviæ Johannes Basilides Livoniam invasit. Incolæ auxilium circumspicientes validum, & de Imperio, utpote remoto, desperantes, in Svecorum & Polo-

Polonorum clientelam se dederunt, *Estonia* cum capite *Revalia* Svecis cessit, add. Conring. *de fin. Cap. XXIX.* Prussiam perinde *Equites Mariani* sive *Crucigeri* primitus Germaniæ acquisiverunt. Nam in auxilium vocati a Conrado Massoviæ Duce, brevi universam Prussiam occuparunt. Dein Anno 1400. infeliciter cum Vladislao Jagellone Rege Poloniæ dimicantes, & insuper avare crudeliterque imperantes, tandem 1466. certis conditionibus in fidem & clientelam Poloniæ Regum recepti sunt. Post varia tandem bella cum Polonis. Albertus Brandenburgicus Ordinis Magister, frustra auxilio Imperii implorato, tandem cum Rege Poloniæ Sigismundo I. Avunculo suo transegit 1525. ut hereditario jure sub Ducis titulo Borussiam, quatenus Ordini suberat, beneficiaria tamen lege, acciperet. Inde Borussia in Regalem & Ducalem dividi cœpit. Igitur Borussiam extra Imperium constitutam tunc fuisse per derelictionem ex negligentia, ostendit Conring. *de finib. C. XXIX.* Conf. Dn. Henniges ad Becker. *jus. publ p. 47. seq.* Sub FRIDERICO WILHELMO Magno gloriosissimæ memoriæ, tandem per pacta Welaviensia 1657. nexus feudalis remissus, & supremum Dominium concessum est. vid. Pufend. *Histor. FRID. WILHELMI ad hunc ann.* Jus vero, quod Imperator prætendere potuisset, 1694. plane remisit, dum titulum *Supremi Ducis Borussiæ*, antea non agnitum, tribuit. Quæ res nunc extra dubium, cum ipse invictissimus Imperator LEOPOLDUS hoc 1701. anno, Serenissimum ac Potentissimum FRIDERICUM REGEM BORUSSIÆ &c. una cum reliquis Regibus salutaverit. Faxit DEUS Immortalis, ut gloriosissimus FRIDERICUS, qui hanc gloriam, hoc decus primus intulit Domui Brandenburgicæ, porro VIVAT, VIGEAT, FLOREAT, TRIUMPHET!



DISSERTATIO IV.

De

IMPERATORE ET REGE ROMANO.

SUMMARIA.

Reges Germaniæ, quando titulum Imperatoris *assumserint, & quomodo ille postea auctus fit.* §. 1.
Reges nonnulli Imperatoris titulum affectarunt; Majestatis titulus. §. 2.
Elogia Imperatoris: Dominus mundi, Caput temporale, Advocatus Ecclesiæ, Ensifer &c. §. 3.
Ostenditur, hodie hos titulos parum in recessu habere, & a Curia Romana effictos esse; Furstenerius *notaturistos defendens.* §. 4.
Electio Imperatorum an semper a tempore Carolingorum in Imperio observata fit? §. 5.
Norma & forma electionis Imperatoriæ hodiernæ in A.B. descripta. §. 6.
Requisita personæ eligendæ, an Germanus esse debeat? &c. §. 7. *Epicrisis de his quæstionibus. Ibid.*
Coronatio Imperatoria triplex. §. 8.
Coronatio Germaniæ hodie sola est in usu, quis eam perficiat, lites inter Coloniensem & Moguntinum. §. 9.
De Imperatoris Germanici potestate unde debeat differi; Ineptiæ veterum de lege Regia. §. 10.
Enumerantur partes majestatis, ubi Imperatori parum aut nihil relictum. §. 11.
Potestas Cæsaris circa jus belli & pacis. §. 12.
circa sacra. §. 13.
circa leges ferendi. §. 14.
Reliqua jura Imperatoris. Ibid.

Com-

§. 1.



Arolum Magnum titulo *Imperatoris* abstinuisse, & sub stirpe Carolina, Regnū Francorum titulo Romani Imperii fuisse insignitum, nusquam legi, existimat Monzambano *de Statu Imp. Cap. I.* §.1. Appellatione *Cæsaris* itidem non usos fuisse, ex Goldasti *Præfatione tom.3. Constit. Imper.* annotat Bœcler *Notit. Imp. L. IV. c. I.* & fatetur ibidem Goldastus, se nescire, quando in Germaniam allatum Cæsaris nomen sit. Quod si verum esset, rationes ex superiore *Dissert.* §. 6. *seqq.* facile arcessi possent. Verum refragantur *Goldasto* & *Monzambano* Diplomata apud Jo. Mabillonium *de Re Diplomat. Lib. II. c 3.* Baronium *Annal. Ecclesiast. tom. IX.* ut & Pithæum *in Corp. Script. Francicor.* in quibus legitur: *Imperator, Cæsar Carolus Rex Francorum.* Inde probabile est, & Successores utut non semper una formula constantique stilo, Imperatoris & Cæsaris titulum assumsisse. Successu temporis vero titulus Imperatoris accessione noviter acquisitorum Regnorum auctus est. Henricus VI. primum

primum Imperatorio titulo Regnum *Siciliæ* adjecit. Fridericus II filius, ob matrimonium Jolæ, Johannis Brenni, Regis Hierosolymitani, filiæ,& hoc *Regnum Hierosolymæ* titulo Imperatorio inseruit. Ad horum imitationem seculo XIV. Carolus IV. Regis *Bohemiæ* titulum superaddidit, cujus filius Sigismundus *Hungariæ* Regis appellatione auxit.Postea Fridericus III.inusitato antea exemplo, omnes titulos *Austriacos* superimposuit. Complementum addidit Maximilianus I. novo *Germaniæ Regis* assumto nomine. Ut scilicet eo fortius indigitaret, Germanorum Regnum a reliquiis Imperii Romani distinctum esse, licet ab uno Imperatore regantur. Conring. *de Germ.Imp. Rom.c.12.* Dn. Swederus *J. P. part. spec. sect.I c.1.* §.7. Vocabulo *Augusti* vero inter titulos Imperatorios voculam *semper* adjecit *Fridericus I.* imitatione vel potius æmulatione Græcorum. Bœcler. *Not.Imp. L. 4. c. 1.* Conf. etiam Dn. Schurtzfleischii Diss. elegans de *Titulo Augusti*. Græcos enim de titulo Imperatoris & Augusti litem ipsi movisse, fusius recensetDn.Becman. *Not. Dign.illustr. Dissert. II. c.I.§.16.* Imperatoribus nostris autem hodie scurrilibus scommatis & strophis abjudicare hæc nominaBlondellum *in Præf. apolog. p. 31. & 33.* asserit Bœclerus *l. c.* haud dubie *ad Dissert. suam de SacroRomano Imperio*,quæ contra Blondellum conscripta est, respiciens. Verum cum alii demonstraverint, ipsum Bœclerum non semper optima fide agere cum adversario, & sæpe loco rationum adfectus &inde rethoricationes producere, hinc temere ipsi non credendum. Interim quid sentiendum sit de Blondelli hac opinione, ex *præced.Dissert.* satis patet.

§ II. Nonnullos etiam Reges, æmulatione Imperatorii Germanici nominis, titulum Imperatorium sibi assumsisse, fusius exponit Limnæus *tom.IV. Addit ad J. P. L.2. C.I. n.43 p.196. seq. & in Notit Franciæ lib 2.c.I.*Titulo *Serenissimi*, *Invictissimi*, *Gloriosissimi* a Carolinis temporibus usos fuisse nostros Imperatores, satis indicant diplomata apud Joh Mabillonium *de Re Diplomat. Lib. II. c.3.* du Fresne *in Glossario sub his voc.* cum quibus conferri meretur judicium Dn. Becmanni *Not. Dign. illustr. Diss 3. C.1.§.3.* quare Imperatores Christiani hos titulos,aliquantum a modestia & humilitate Christiana abeuntes, sibi tribuendos curaverint. Quoad *Maje-*

statis appellationem autem recte annotat Bœcler. *l. c.* significationem potestatis, a significatu curiali honoris; in priori sensu denotat summam potestatem in civitate, hinc & Majestas in Aristocratiis & Democratiis est. Tali suppositione an Imperatori competat in Imperio; deinde videbimus. Majestatis appellatione autem, quatenus curialis honoris est, Imperator citra dubium gaudet, una cum omnibus Regibus, quam adstricte etiam regnent, uti in Polonia & Anglia. De hac igitur Majestate tradit Limnæus *ad Capitul. Rudolphi II. artic 32.* ante Carolum V. vix exemplum occurrere, ubi Majestatis titulo usi sint Imperatores, sed tantum vocibus **der Käyserl. Gnaden und Würden**/ qua Electores & Principes ante *Instrumentum pacis*, Leges etiam compellabant. Dn. Pufend. *hist. Friderici Wilhelmi L. II. §. 14. 17. seqq.* Quamvis autem apud *Baluzium, Mabillonium, du Fresne* & alios extent Diplomata, ubi Imperatores Majestatis voce usi, tamen curialis significatio propria, constantique stilo Curiæ retenta, ante Caroli V. tempora non videtur observata.

§. III. De titulo Imperatoris, quod vocetur *Dominus Mundi, in L. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu*, nihil addo. Res enim hodie ita clara, ut politiores scriptores, qualis Conringius & alii, merito pigeat veterum ineptiarum, quas ignorantia historiæ & politices produxit. Novissime Huberus *L. I de Civit. Sect. 9 c. 7.* Peckio miseram Philosophiam *ad d. L. 9.* quod mundi dominium *de jure ad Imperatorem* spectet, adhuc excidisse, merito miratur. Majus operæ pretium vero videtur esse, si inquiramus in titulos, quibus in legibus publicis mactantur Imperatores. Judice enim Bœclero, instar regulæ observandi ac avthentici sunt tituli, qui in legibus publicis ponuntur. *l. c. pag. 68.* nihilominus existimo, lubricam esse hanc regulam, uti enim leges ipsæ cum statu mutantur, ita & efficacia titulorum ibi occurrentium. Res fiet manifestior exemplis. In A. Bulla C. 2. §. 3. 4. 5. Imperator *Caput fidelium temporale* vocatur. In *Recessu Imp. de Anno 1519.* §. 1. vocatur Imperator *Advocatus universalis*, sive **der Oberste Vogt und Haupt der Christenheit.** Indigitatum etiam hoc ivit Elector Moguntinus Collegas suos in voto Electionis Caroli V. ita alloquens: *Ceteri Reges*

non

non sustinent hoc onus ingens, externa Regna propugnandi. Noster Imperator eligitur, ut sit Dux publici consilii inter omnes Reges, ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem Ecclesiæ custodiat &c. Inde eo tempore solennes phrases: Cæsar est Imperator i.e. *Dux natus Christianorum adversus infideles; est Ecclesiæ universalis Advocatus; Ensifer, Archi-Mareschallus & Brachium seculare.*

§. IV. Verum, si statum istorum temporum accuratius pensitemus apparet, Pontificum Romanorum calliditate hanc persvasionem credulis & simplicibus seculis obtrusam fuisse, eo commodius orbem Christianum sub jugum redigendi. Erat Imperator temporale Caput fidelium, sive orbis Christiani, sed Papa erat *Spirituale*, hinc superior. Erat Imperator Ecclesiæ Ensifer, Dux natus, Brachium seculare, h.e. secundum sensum Cleri mysticum, executor tyrannidis clericalis, omnes tyrannides supergredientis, in Orbem Christianum. Inde etiam Dux *Passagiorum* salutabatur Imperator, h.e. bellorum infelicium & injustissimorum ad recuperandam Palæstinam. *Bella Domini* vocabant Pontifices, quæ descripta in libro sub titulo: *Gesta Dei per Francos*, sed revera Pontifex callido hoc invento utebatur ad subjugandum orbem Christianum, flore ejusdem infelicibus hisce & miseris *Expeditionibus Cruciatis*, instar victimæ, pro papali ambitione, deleto. Verum cum post tempora Reformationis visus restitutus sit cæcucienti Orbi, hi tituli Imperatorii amplius nullius efficaciæ. Auctoritas circa *Concilia convocanda* aut moderanda, vix usu convalescere potest, cum constet abunde ex historia Concilii Tridentini a *Paulo Sarpio*, Pontificio, sed cordato & ingenuo historico, edita, quantum horrorem & aversationem Curia Romana contra Concilia habeat, nec id sine ratione, si acta *Concilii Basileensis* & *Constantiensis* revocet in memoriam. Miror inde, politissimum Cæsarinum Furstenerium *de Suprematu in præf. & cap. 31. & 32.* hasce Cleri nænias denuo revocasse, pallio ornasse, & quo scenæ inserviret suæ, Imperatori ex antiquo hoc stilo asserere voluisse *autoritatem sive aliquale Imperium in totum Christianum orbem*. Longe enim politiora sunt nostra tempora, quam ut possimus credere, omnes Reges & Civitates liberas Imperatori eam potestatem regendi Ecclesiam

 præcipu-

præcipuam,& non modo ante alios tam insigniter eminentem, sed etiam quodammodo in reliquos omnes validam, & cui ipsi parere necesse habent, esse concessuros. Conf. *Notæ & Animadversiones in Furstener. Fidei* quidem *unitas est* & *communio sanctorum*, sed *externa ratio regendi* & *constituendi*, quæ ad decorem & εὐταξίαν divini cultus publicamque securitatem sacrorum pertinent, cujusque gentis arbitrio in suis finibus relinquuntur.

§. V. Modus autem quo quis ad summam hanc dignitatem orbis Christiani pervenit, est *Electio*. Obtinuit illa omni tempore circa constitutionem *Regis Germaniæ*. Dico non Imperatoris, sed Regis Germaniæ. Imperium enim Romanum Carolo & posteris delatum jure, ut patet, hereditario, vid. Monzamb. *Cap. IV.* §. 1. & Kulpisius *in Notis p. 32.* Contra Regnum Francorum neque mere hereditarium, neque electitium, sed quod *mixto* quodam successionis modo fuerit delatum. Plus tamen ex successione, quam ex electione trahebat. Nam nisi ob gravissimas rationes a sanguine defuncti Regis haud quidquam discedebatur. Conringius *de Septemvir. Imp. th. 13.* Maurit. *Diss. de Orig Elect. Cap. I.* Rachelius *Diss. de Capitulat. Cap. 2* §. 5. Duravit illa successionis fere plenæ imago, etiam stirpe Carolingica cum Ludovico IV. extincta per Germaniam, in stirpe Saxo-Wittekindea, & aliis, usque ad Henricum IV. Hujus tempore autem Status Germaniæ, instinctu Pontificum, quorum intererat, ut robur Imperii licentia eligendi frangeretur, publica Constitutione in *Comitiis Forcheimensibus* sancivisse 1077. dicuntur, *ne Regia potestas cuiquam per successionem cederet*. Conring. *Differt. de Septemvir.* §. 20. Monzamb. *l. c.* §. 1. Sweder. *J. P. part. spec. Sect. l. c. I.* §. 18. Ast ostendit Kulpisius ad *Monzamb p. 34.* Regiam stirpem aliquoties jure successionis excussam, Imperium vindicare non destitisse, usque ad Friderici II. obitum, ubi veræ Electionis periodus inceperit. Ceterum intuenti dignitatem Cæsaream, in *Archiducali Domo Austriaca* tot seculorum decursu continuatam, non potest non obversari pristinus modus succedendi, plus ex successione quam Electione trahens, dum ex unica hac Domo, ab *Alberti II.* tempore, nunquam interrupta serie, *undecim* tam literarum triumphis quam militaribus victoriis inclytos Imperatores Germa-

Germania habuit, non connumerato Ferdinando IV. qui ut Rex Romanus decessit, & Serenissimo Josepho in Regem Romanum 1690. electo.

§. VI. Igitur per electionem Imperatoria dignitas confertur in Germania. Normam vero & formam solennis hujus electionis præscribit Aurea Bulla, id propter condita a Carolo IV. Imp. Modus ibi præscriptus hic est. Moguntinus intra mensem a primo die quo de morte Imperatoris rescivit, Collegis id significat, eosque ad futuram Electionem vocat, qui ipsi, aut per legatos suos comparere tenentur. Possunt vero Ecclesiastici comparere, licet non sint infulati a Pontifice, & Pallium Archi-Episcopale redemerint, Seculares item, licet non sint investiti. Actum Electionis, quæ fit Francofurti regulariter in sacrario templi S. Bartholomæi, auspicatur ceremonia Missæ, a qua tamen Evangelici legati solent abesse, licet adesse possint officii causa. Inde ad altare accedunt juraturi, quod idoneam sint electuri Imperatorem. Moguntinus, utpote Decanus Collegii, suffragia colligit, primo loco Trevirensem interrogat & reliquos, ipse ultimo loco sententiam dicit. Plura suffragia pro universis valent. Postea hi ad Altare accedunt, ubi Moguntinus convocatam apud multitudinem electum Imperatorem pronunciat, Conf Monzamb. *C. IV. §. 5, & ibi Kulpisius*, Dn. Thulemarius de A.B *cap. 24. 25.* Sweder. *J. P. part. spec. sect. I. cap. 2. §. 5. seqq.* Primus actus, quem Electus *virtute Imperii* peragit, est confirmatio jurium Collegii Electoralis *A.B. Cap. II. §. 5.* Sed non minus reliquis Imperii Statibus jura ac privilegia sua vigore Capitulationis, juramento a novo Imperatore confirmandæ, hodie quoque specialiter confirmare tenetur. *Capitulat. Leopoldi & Josephi art. 3.*

§. VII. Circa *habilitatem personæ eligendæ* multa a Publicistis solent moneri, quibus præter illa, quæ legibus requiruntur, haud opus videtur circumscribere Collegium prudentissimum, penes quod Electio est, quippe quod melius de bonis corporis & fortunæ eligendi judicare novit ex usu rerum præsentium Imperii, quam umbratici Doctores. Ratione patriæ requirunt plerique, ut *Germanus* eligatur. Provocant eum in finem cum allegatis a Buxtorffio

constat, quam vexati & indigna multa propterea nostri Imperatores passi sint a Pontificibus. Inde factum est, ut a Caroli V. tempore a nostris Imperatoribus neglecta fuerit. Hinc communiter censent, propterea *Electos Imperatores* sese vocasse Successores ejus, non vero simpliciter, Imperatores. Verum & Carolus V. post coronationem Bononiæ factam in multis Recessibus v. c. de 1530. & 1532. electum Imperatorem se vocavit. Magna vero pompa & ostentatione olim hæc Coronatio Romana peracta est. vid. Goldasti *Politic. Imper. P. 4. p. 290. seqq.* & *Ceremoniale Romanum* Marqu. Freheri *Notis ad Petrum de Andlo* annexum. Imprimis vero ad hanc coronationem Status conferre tenebantur pro rata, 20000. Pedites & 4000. Equites. Vocatur alias *Expeditio Romana*, der Römer Zug. Est hæc fundamentum *Matriculæ*, & secundum hanc hodie Status subsidia die Reichs-Anlagen præstant. Notandum etiam est, quod usque ad Ferd IV. Imperatores adstricti fuerint commodo tempore coronam Romanam petendi, vid. *Capitulat. Ferd.* III. *art. 38. & Ferd. IV. art 37.* Ast in *Capitulo Leopoldi & Jos.* hoc omissum est, vid. *Cap. Jos. art. 36.* Hinc Coronatio Romana, multorum ex sententia, nunc ab usu plane recessit. conf. ill. Dn. de Rhetz *Comm. ad Jus feud L. 1. t. 1. pag 88.*

§. IX. Remanet ergo & in usu est sola *Coronatio Germanica*. Locus in quo hæc ceremonia peragi debet *Aquisgranum* est, antiqua Carolorum sedes, A. B. *cap. 18 § 5.* & ibi Limnæus *obs. 7.* Suasit tamen conditio temporum sæpius, alibi quam hic coronationem peragere, quod vel novissimo Josephi Regis exemplo comprobatur, qui 1690. Augustæ Vindelicorum coronatus est. Quod cum ante aliquoties jam contigisset, acris inde disputatio orta est inter Moguntinum & Coloniensem Archipræsules, de jure Coronandi. Equidem Archi-Episcopo Coloniensi jus Diadema regium imponendi tribuitur *in A. B. cap. IV. §. 4.* Ast Moguntinus urgebat, suos olim Antecessores usque ad Henricum III. hoc jus exercuisse, A. Bullam restringendam esse ad Aquisgranum, utpote ad Diœcesin Coloniensem pertinens, in locis vero extra illam sitis v. c. Francofurti, Augustæ, Ratisbonnæ, jus ad se, utpote totius Germaniæ Primatem, pertinere. Propugnavit hæc jura Con-

salva maneat Imperatori Majestas sive summa potestas in Imperio? In responsione autem hujus quæstionis licet deprehendere secundũ Monzambanum. *c V. §. 4.* fœdam adulandi libidinem, aut insignem doctrinæ civilis inscitiam. Exemplum est Reinkingius supra adductus *Dissert.* II. §. 12. subinde ingeminans, *Capitulationem augere Majestatem Imperatoris, instar legis Regiæ veteris, quæ non sublata sit, nec sine scelere tolli possit.* Qui autem meliorem philosophandi rationem iniisse existimantur, distingunt cum Limnæo, quem defendit Strauch. *Diss. Exoter.* I. §. *ult.* inter *summitatem & plenitudinem* potestatis; hanc Capitulatione, non illam minui, censent. Verum graviter hisce obstat dubium Rachelii *Diss. de Capit. c. 6.* § *4 sequ.* quod plenitudo potestatis sit ipsa formalis ratio summitatis, & hinc, si illa minuatur per leges scriptas, non apparet, quomodo summitas salva manere possit. Ut enim summum quis obtineat Imperium, non sufficit superiorem non habere, sed requiritur ut jussibus ipsius citra tergiversationem aut provocationem cæteri teneantur obedire, Monzamb *cap. V.* §. *4.* quod qui de potestate Imperatoria vellet asserere, is certe hospes esset in cognitione status Germaniæ. Nobis igitur videtur rem posse ita componi. Majestas, sive summum in civitate Imperium, consistit in exercitio libero jurium quæ ad conservationem & defensionem civitatis pertinent. Si exercitium horum jurium nonnullorum est restrictum, tunc non quidem plenitudo potestatis adest, summitas tamen salva videtur, si per promissionem non transferatur potestas ad eos quibus promittitur contra facta rescindendi, sed sola clausula annullatoria. Nam formalis ratio Majestatis consistit quidem in summa libertate, h.e. quod non subjaceat aliorum arbitrio, interim promissis restringi potest, nec summa propterea desinit esse.

§. XI. Ut vero hoc clarius pateat, per partes Imperatoriæ potestatis eundum est, & singula jura consideranda. Jus *constituendi Magistratus* in civitate, est citra dubium unum ex præcipuis summæ potestatis. Ast hic Cæsaribus nil amplius potestatis. Sub Carolo M. quidem olim Status magistratus fuere ex communi sententia, hodie vero illi jure proprio possident suas terras. Equidem potest Imperator alicui conferre titulum Principis Imperii, verum Jus suffragii ferendi non potest dare citra reliquorum con-

 sensum;

sensum: *Capit. Leopold. Art. 44.* Perinde non est in Imperatoris arbitrio unico, alicui dignitatem Principis adimere, aut quempiam Ordinum suis ditionibus expellere; sed in notorio etiam crimine, saltem Electorum consensu opus habet. *Capit. Leopoldi Art. 28.* Interim Ordines Imperii subditos suos, proprio imperio, vel prout cum ipsis pacti sunt, regunt. *Capit. Leopold. Articul. 3, 7, 8, 9.*

§. XII. Arbitrium *Belli* & *Pacis* non est penes solum Cæsarem, sed Ordines in Comitiis. Nisi enim Status tam in bellum, quam ad sumptus conferendos consenserint, non est quod auxilii quippiam ab uno eorum sibi polliceatur Cæsar, nisi peculiares ipsi cum Domo Austriaca rationes intercedant. Connexum cum his jus fœdera pangendi. Verum & hoc per *Art. 10. Capit. Josephi* ita restrictum, ut ne quidem fœdera defensiva pangere possit Imperator nomine Imperii, absque consensu Electorum.

§. XIII. Circa *Sacra* potestas Imperatoris exigua aut fere nulla. Nam per pacem religiosam Jurisdictio Pontificiis in territoriis Evangelicorum suspensa, & libera manet iis facultas dispensandi & disponendi circa sacra. Conf. Dn. Strykii Diss. *de Jure Papali Principum Evangelicorum.* Quo ad Status Catholicos autem & constitutionem Episcoporum, notum est, quod per cessionem Henrici V. & Concordata Nationis Germanicæ, nil fere hic Imperatori supersit potestatis aut ille etiam, ob religionem qua imbutus, prætendat. Jus vero primariarum precum nec tanti est, & exiguas reliquias juris pristini ostendit.

§. XIV. Jus leges ferendi de Statu publico, per indubitatam praxin, non est penes solum Imperatorem, sed Status in Comitiis. Quod in genere observare licet. Nam si quid incidat, quod summam Reipubl spectat, de eo haud quidquam licet Imperatori pro lubitu statuere, sed in Comitiis, sive universorum Ordinum conventu ejusmodi negotium est proponendum, & ex consensu eorundem definiendum. *Capit. Leopold. Art. 39.* Interim illud fateri fas est, in omnibus negotiis totum Imperium concernentibus, & hinc in Comitiis peragendis, non tantum concurrere Imperatorem, sed & primas ubique partes gerere. Jurant etiam Ordines Imperio & Imperatori fidelitatem, sed salva sua libertate suisq; juribus h. e, volunt Status jura territorialia salva habere, nec tamen

in

in plenam evadere libertatem, sed potius aliquo modo Imperatori & Imperio obstringi. Inde reliquiæ illæ quæ Imperatori, tanquam Capiti, competunt. (1) Jus proponendi in Comitiis. Swed. J P. part. spec. sect. I. c. 19. (2) Jus acta publica suo nomine expediendi. (3) Jus legationes nomine totius Imperii peragendi & recipiendi. Kulpis. *de Jur. Legat. cap. 5. & 23.* (4) Jus providendi, ne Imperium detrimentum capiat. *Cap. Leopold. Art. 13.* (5) Jus investiendi de feudis immediatis. (6) Jus Albergariæ. (7) Jus Aperturæ Vitriar. *lib. 3. t. 19. §. 100. sequ.* Ast omnia hæcce Jura, & plura alia quæ Imperatori communiter tribuuntur, ita sunt comparata, ut pauca solus v. c. Investituram, reliqua cum consensu Ordinum in Comitiis peragat.

§. XV. Ex hisce satis patet, quantillum Imperatoris unico arbitrio relictum sit, circa summa jura Majestatis. Illa vero jura quæ *Reservata Imperatoria* vocantur, & non statum totius Imperii, sed hoc vel illud Statuum territorium attinent, sequenti *Dissertatione* enucleabimus. E contrario ex denegatione jurium Imperatoris in Imperium, facile concludere licet, quid Ordinibus ad summum Imperium desit in suis provinciis. Habent Status jus vitæ & necis: leges condunt etiam juri communi repugnantes: omnes reditus ex suis provinciis capiunt: tributa indicunt: fœdera inter se & cum exteris feriunt; modo non spectent contra imperatorem & Imperium: armis se defendunt, injurias sibi illatas ab exteris armis vindicant; munimenta in suis ditionibus exstruunt: monetam cudunt: Libertate religionis gaudent. Breviter. Omnia jura quibus ad gubernandam & conservandam civitatem necesse habet summa potestas, & illi possident sub titulo, *superioritatis territorialis.* Hæc revera *Majestatem* involvit, licet stylo juris publici ea appellatione abstineant, ob memoriam haud dubie pristini status. Quod autem ditiones suas *tanquam feuda* agnoscant, hoc non tam ipsorum potestatem, quam habendi modum afficit; & ritus potius solennis, quam veræ collationis vim investitura habet. Inania vero titulorum, quod Imperator ab omnibus Statibus vocetur *Dominus Clementissimus* & alia, genius seculi, stylusque Curiæ produxit, nec plus habet efficaciæ, quam alia verba honoris, in quæ ignavissimus quisque operum solet esse effusissimus.

§. XVI. Ex hac porro jurium Imperatoris Statuumque de-

lineatione, tutius & solidius aliquid differi posse existimo *de forma Imperii Germanici*. Puto enim, manifestissimum esse, latitare aliquid in Germaniæ Republica, quod eandem ad simplices Rerumpublicarum formas referri prohibet. Sermo vero est de forma totius Corporis. Nam singulæ partes, sive Status, si spectentur, Principatus Ecclesiastici & Seculares Monarchiarum instar sunt. Urbium autem liberarum nonnullæ Aristocratico, nonnullæ Democratico regimine utantur. Cum vero tot lites & disputationes de forma Imperii sint, recte annotat Monzambano *Cap. VI. §. 3.* hoc tanquam indicium Reipublicæ valde irregularis esse, quanquam & haud paucorum nulla rerum civilium aut valde tenui scientia instructorum inscitia, non minima dissensionum & clamorum causa sit. Quibus igitur erectum libertatis studium ostentare placet, illi *Aristocraticam* Germaniæ formam assignant. Ast hæc corruunt ex observatione Monzamb. *p 320.* quod ad Aristocratiam requiratur, ut summa potestas sit penes statum aliquem & perpetuum Senatum, cujus sit, deliberare & statuere de omnibus negotiis ad Rempubl spectantibus, executione rerum quotidianarum aut singularium Magistratibus certis delegata, qui Senatui rationem gestorum reddere teneantur. Atqui talis Senat⁹ in Germania haud quidquam datur. Ceterum non felicius pugnarunt, quin potius risui cordatiorum semet exposuerunt, qui cum *Reinkingio, Stamlero, Witzendorffio* aliisque recentioribus, vid. *Acta Erud* Lips. Mens. *August. 1689. p. 422. sequ.* fere *absolutam monarchicam formam* Imperio assignant. Qui *Democraticam* formam Imperio tribuerit, se nondum vidisse dicit Monzamb. *C. V. §. 3.* Nihilominus *Relfenso* quidam in *tract. de suprem. Princip.* pro sua audacia, *Politiam* Germaniam esse, contendit, realem & personalem Majestatem Statibus adscribens, quem castigavit *Teutoburgius* sive C.L.Schurtzfleischius.

§. XVII. Omnium optime autem rem tetigisse ac sobrie philosophasse sibi videntur, qui Germaniæ formam esse *mixtam* asserunt, ita ut Monarchia Aristocratico regimine temperata sit. Ubi iterum alii, Monarchiam in hac mixtura præponderare contendunt cum Bœclero *Not. Imp. L. 22. c. 1 & 2.* Carpzovio *de Lege Regia Cap. 13. sect. 9. n. 1.* Alii autem cum Limnæo, primas partes assignant

gnant Aristocratiæ. Ast vereor, ut operam ludant, qui de hac re inter se contendunt. Nam tota illa mixtura, prout vulgo traditur, inane figmentum est non quadrans ad principia Juris publici universalis, & sic etiam non ad jus publicum Germaniæ, quicquid etiam regerat de cetero satis docte, Kulpisius *ad Monz. c.5.* Regula fundamentalis omnium civitatum, quæcunque forma sit, est: *Majestas est una in civitate & indivisibilis, plures partes potentiales habet circa diversa objecta occupatas, quæ omnes sub summi Imperii notione in unam voluntatem influunt.* Unio hæc est anima reipubl & facit *regularem formam.* Natura & indoles omnium civitatum non aliter fert, quam ut status sit ita connexus, & in eo sit talis unio, per quam omnia, quæ ad Rempubl regendam faciunt, velut ab una anima proficisci videantur. Conf. Dn. Pufend. *de Jur. Nat. & Gent. Lib.7. Cap V.§.13.* Fit hoc in Monarchia per Principem, in Aristocratia per Optimates. in Democratia per Populum. Inde nunc patet primum falsum *Kulpisii*, in quo tota ejus mixtura fundatur. Admittit ille, in omni civitate tale debere esse Imperium, quod liberrimum judicandi & præscribendi arbitrium habeat circa omnia ea, quæ ad gubernationem illius consecutionemque finis & salutis necessaria sunt, & si in uno facultas ista deficiat, aut *ab alterius extra cœtum hunc constituti voluntate* dependere incipiat, jam non amplius Imperium summum, nec civitatem esse. Falsa est hæc hypothesis Kulpisii, quod independentia ab aliena voluntate, summum Imperium destruens, restringatur *ad alienam voluntatem extra cœtum.* Nam eadem ratio, si facultas imperandi dependeat ab alterius voluntate, *qui intra eundem cœtum est*, si scilicet esse consideretur ut alter, h. e. ut a priori dissentiens. Ponamus, Principem in civitate habere *jus fœderum*, Senatum *jus belli*, Populum *jus contributionum.* Princeps non habebit Majestatem, quia jus belli & contributionum amisit, nec Senatus; quia non habet jus contributionis, fœderum; nec Populus, quia destituitur jure belli, fœderum. Nec omnes conjunctim Majestatem habent, si sint dissentientes, quia neuter poterit alteram partem jure cogere. Conf. Dn. Thomasius *ad Monz. cap V.*

§. XVIII. Ex quibus breviter adductis manifestum fit, totam illam mixturam, à plerisque operose inculcatam, non consistere posse

posse cum vera Politica, nec etiam citra *miseriæ confessionem* applicari posse statui Germaniæ, cujus formam ad regularem structuram non quadrare, velint, nolint, concedere necesse habent. Vergit enim Germania ad *systematicam formam plurium sociorum inæquali fœdere nexorum.* Fatetur Schildius *de Coalit. populor. & Rerumpubl. L.2.c.13.* Non inu iliter ad statum hodiernum Imperii applicari, quæcunque de Civitatibus fœdere unitis disseruntur. Animadvertit hoc jam olim Thuanus *Lib. 2. histor.* ubi Germaniam comparat cum Amphycthionum consessu Græciæ. A quo non abludit doctissimus Jac. Gothofredus *in Achaic.* Acheorum Concilio Germaniæ Comitia similia esse perhibens. Ulricus Huberus accuratissimi judicii JCtus *L I.de Civit. sect II.cap. 2.* solide ita de Germania philosophatur: *Respublica definitur ordo civitatis, consistens in regimine summæ potestatis, & subjectione reliquorum, per medios magistratus. Ubi igitur talis ordo, ibi est civitas. æque ac corpus ubicunque anima est. Ubi plures ejusmodi ordines, ibi & plures Civitates ac respublicæ intelliguntur.* Proinde Helvetiorum atque Belgarum, per me licet addas Germanorum, *Imperia, non singulas, sed plures constituunt civitates.* Idem postquam *cap. 3* recensuisset systemata fœderum Belgii & Helvetiorum, subjungit: *In Imperio sive Regno Germaniæ, magis alia species, quam res est. Speciem diversam facit, quod Germani fœderis sui Principi nomen* Cæsaris, Imperatoris, Augusti, *quæ verba implent auditum idea summæ potestatis, adscribunt, eundemque omnibus Majestatis imitamentis prosequuntur. Sed* qui norunt moralium rerum naturam ab effectis æstimari, *Principesque & Civitates Germaniæ liberas, vident,* omnibus ferè summæ potestatis juribus independenter a Cæsaris arbitrio uti, *non dubitabunt, quin Germania sit corpus fœderatum, in plures summas potestates distinctum potius, quam una civitas.*

§. XIX. Ita judicant de Germania summi Politici exteri. Cum quorum calculo, quod nonnulli domestici scriptores non conspirent, varias causas a præjudicio autoritatis, inscitiæ politices solidioris & historiæ patriæ, arcessunt alii, de qua re prudentiores dispiciant. Ridebatur Monzambano ab asseveris Philosophiæ Reinkingianæ, aut alterius ei similis, cum primum hanc sententiam *C VI sui libelli* proponeret. Nec poterant hoc concoquere *Pacificus a Lapide, Schoockius, Teutoburgius, Scharfschmidius,* & qui omnes hos judicio

dicio & doctrina longe antecellit, *Kulpisius*. Nescio quid monstri aut periculi huic sententiæ subesse clamitabatur. Docuit vero experientia, prudentiorum nonnullorum applausum invenisse, & spes est, plurium inposterum esse inventuram, cum omnes nunc incipiant præjudicia in Jure Publico, uti in multis aliis disciplinis, serio exuere. Nil tamen periculi inde accessisse, notum est. Et indicium falsæ sententiæ esse solet, si contraria, propterea rejicitur, quia pericula parere posset.

§. XX. Satis vero actum putamus de forma Imperii, occasione potestatis Imperatoriæ, disquisitioni subjecta. Nunc, quomodo Imperatoris potestas finiatur, videamus. Desinit vero Imperator esse *exauctoratione, resignatione, morte*. De primo modo non multum attinet dicere, quia nostrorum temporum felicitas & seculi moderatio hoc nos timere vetat. Vetera exempla in depositione *Adolphi Nassovii, Wenceslai*, aliquid juris, multum vero facti habent. Resignationis autem exemplum contigit illustre in abdicatione Caroli V. quod uti non multa paria exempla ante se invenit, ita forsan nec post se. Politice inquirit in causas abdicationis hujus Famianus a Strada *de Bello Belgico Decad. I. lib. 1. 2.* Cui debeat hoc casu resignatio fieri, discutit Conring. *ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 7.* ubi impudentiam Pontificis Rom. resignationem sibi fieri debere contendentis, simul redarguit. Igitur superest mors Imperatoris. Hoc casu autem Rex Romanorum si adsit, mox citra alium actum Imperii habenas capessit. Paucis igitur de Rege Romanorum agendum adhuc erit.

§. XXI. Eligitur hic extraordinarie vivo adhuc Imperatore. Hujus consensum usque ad Capitulationem Leopoldi implorare electuri tenebantur. Ast ad desiderium Statuum in *Monitis ad Capit.* plane omissa est humilis illa impetratio, ut sic invito Imperatore Regem hodie eligere fas sit. Differt vero Rex Romanus ab Imperatore tum in Ceremonialibus, tum potestate. Cæsar ipsum appellat Eure Liebden/ Rex Cæsarem Eure Majestät. vid. Limn. *J. P. L. 2. C. 15. § 46.* Aqvilam gerit unicipitem, dextro solum capite prominente. Hoping. *de Jur. Insign. C. 6. n 363.* Nigra illa est, lingva, rostro & cruribus coccineis, circulo in capite ejusdem coloris, Chifflet. *de Equit. Aur. Veller. n. 48* De potestate autem Regis Romanorum, vivo Imperatore, varie disceptatur, aliis Majestatem ipsi tribuentibus, aliis denegantibus. Puto liti ansam dedisse vocabuli Majestatis variam accepta-

 tionem,

tionem. Quatenus Majestas sumitur pro personali dignitate, tum quis Regi Romano illam denegaret? Si vero Majestas denotare debet protestatem illam quam Imperator habet in Imperio, tunc potest concedi, habere illam Regem Romanum, sed in actu primo, in actu secundo sive exercitio, quiescere illam usque ad mortem Imperatoris. Pluribus terminis Philosophiæ scholasticæ si rem involvere vellemus; vereremur nauseam lectorum. Nam delicatiori sunt gustu Cordatiores hodie præditi, quam ut æquo animo audire possint, Imperatorem *habere se tanquam conditionem sine qua non* erga Majestatem Regis Romani, hunc Majestatem *eandem numero totam* habere. &c.

§. XXII. Ceterum an consultum sit Imperio, vivo Imperatore, Regem eligi? quæstio est, quæ magis ad Politicam pertinet, & ex usu rerum decidenda est, quam ad jus publicum. In negativam videtur recte inclinare Du May *Etat de l' Empire. p. I. Dial. 2. p. 81.* Quelques uns disent, que quand on crée un Roy de Romains, pendant la vie de l' Empereur, on donne deux Chefs a l' Empire & deux Maîtres aux Alemands, qui ont bien de la peine d' en suffrir un. &c. Verum hæc possunt elidi ex illis, quæ modo adducta sunt de potestate Regis Rom. Nec acu hac in parte tangit rem Monzambano *de Statu German. c. 4. §. ult.* existimans, causam, cur vivo Imperatore Reges Rom. eligantur, proficisci ab Imperatoribus, ut se vivis faciliori negotio filios, fratres, proximosve agnatos ad Imperium proveherent. Ast melius alii pro causa impulsiva Electionis Regis Romani venditant metum periculorum, quæ ex interregno timentur. Et hæc etiam causa fuit in ultima electione Gloriosiss. Josephi, simul ut Gallo omnem spem præscinderent perveniendi ad culmen Imperiale. Conf. Autor, des Bedenckens/ worzu/ bey fürgegangener Wahl des Röhmischen Königes Josephi/ gesamte Reichs-Stände berechtiget / und wie sie sich dabey zubezeugen haben. 1690. p. 12.

§. XXIII. Disceptatur porro, *an reliquorum Statuum consensu opus si novus Rex eligendus sit vivo Imperatore*? Resp. multos id asserere sequ. rationibus. Superiori seculo cum in Electionem Ferdinandi I. Elector Saxoniæ & Socii non consentirent, sex alios Principes de quæstione, an eligendus sit? cum Electoribus judicare debere, contenderunt. Sic ordines Circuli Saxoniæ infer. 1652. affirmarunt, de quæstione, an eligendus sit? Status debere calculum ferre. Vid. Dn. Swed. *part. spec. sect. I, C. 2. §. 5.* denique *in Instrum. Pac. Art. VIII. §. 3.* præter alia etiam

etiam de Electione Rom. Regis in proximis Comitiis ex communi Statuũ consensu, ut agerentur & statuerentur, conventum est. Hinc, cum Electores Statuum reliquorum consensum negligerent in Electione Josephi Regis, illi protestatione interposita jus suum sibi reservarunt. vid. alleg Aut **des Bedenckens &c.** Interim quæstio, quis sit eligendus? ad solos Electores pertinet. vid. Schilter *Instit. J. P. L. 1. tit. 17. §. 2 sequ.*


§. XXIV. Capitulatio Regi Romanorum æque præscribitur ac Imperatori, illa tamen potissimum futurum Regimen respicit, nam vivo Imperatore ipsius potestas quiescit, & ille nihil potest Imperatorium aut Regum facere, nisi ex commissione Imperatoris. Bœcler. *notit. Imp. L IV. c. 2. p. 96.* Limn. *ad Capitul. Maxim. II. de tomo 5. pag. 80. sequ.* Præ omnibus Regibus præcedentiam habere ipsum, notat Crusius *de Jure procedriæ L 3. Cap. 2.* ob spem amplissimæ successionis, & quod jam caput Imperii sit post Imperatorem, *Rec. Imp. de A. 1555. & 1569.* Verum hujus rationes non semper æque validæ solent esse. Reges dignitate æquales sunt, nec ab uno, ut alteri cedat, jure postulari potest. Interim consvetudini, possessioni & receptæ a multis seculis observantiæ multum hic deferendum est.

§. XXV. De Imperatrice ejusque juribus, ut quædam addamanus, materiæ affinitas svadet. Vocantur Imperatrices *Augustæ*, qua appellatione Livia Augusti conjux primitus honorata est a Senatu, una cum Matris Patriæ titulo, Tacitus *1. annal. cap. 14.* conf. Schurtzfleisch. *Diss. de titulo Augusti.* Postea & *Agrippina* cognomento Augustæ appellata est. Tac. *Annal. 12. c. 26.* Scilicet non ipso jure connubii Augustæ jura obtinuerunt, sed demum cum in Augustam renunciarentur. vid. Excell. Dn. Schilter *Inst Jur. Publ. lib. I. tit. 16. §. 1.* Successu vero temporis, Augustæ nomen & privilegia Imperatoris & Regis conjugi qua tali, atque ipso jure connubii competiere. Hinc tam Imperatoribus Francicis, quam Saxonibus existentibus, Imperatrices in consortium Imperii fuere receptæ & in Curiis Imperialibus atque judiciis sedes iis assignata, proxima ab Imperatore, vid Goldast. *tom. 3. Const. Imper. f. 192.* Quem morem si conferamus cum aliarum gentium institutis discrepantibus in hoc puncto, non possumus aliam causam assignare, quam insitum Germanorum Francorumque erga sexum sequiorem affectum. Certum est, inquit illustr. Dn. de Rhetz. *J. P. lib. 1. tit. 2. §. 41.* uxo-

 ribus

ribus & fœminis Germanos communiter multum addictos fuisse, consilia earum non temere aspernabantur, multaque ex earum arbitrio decernebant. Inde tanta veneratio ergo *Auriniam* & *Velledam*, de qua ultima Tacitus ipse, utpote Procurator Belgii, testatur, sanctum aliquid fœminis inesse, credidisse Germanos, & Valledam diu Numinis loco apud plerosque habitam, vidisse se sub Vespasiano, conf. Dn. de Rhetz. *c. l.* §. 40.

§. XXVI. Ex hoc igitur fonte derivandum videtur, quod Imperatrices veteres in curam Imperii sint assumptæ. Multis egregiis testimoniis huic rei fidem conciliat Dn. Schilter l. c. In Diplomate Ecclesiæ Patavinæ an. 963. ab Ottone M. dato, hæc verba occurrunt: *Consultu & interventu dilectæ Conjugis nostræ Adelheidæ & consortis Imperii nostri.* Nihilominus hæc potestas Augustarum ab arbitrio Imperatorum dependisse videtur. Nam, ut bene annotat Schilterus, l. c. mansit paritas inadæquata, & socia subordinata Imperatori atque Marito. Quod & re judicata comprobavit Otto III. Imp. Augustam adulteram & homicidii ream ad ignem & vivicomburium condemnando. vid. illustr. Dn. Strykii *Diss. de Foro Princ. & Privat. Communi, Cap. I. n. 24.* Quod coronationem Augustæ attinet, moribus introductum, & consvetudine Europæ confirmatum est ut Imperatrices non minus quam Imperatores coronentur, sive seorsim, sive una cum Imperatore. Prioris Exemplum suppeditat Gloriosissima Imperatrix hodierna 1690. Augustæ Vindelicorum solenniter corona ornata. Qui mos & apud Reginas servatur, corona ipsarum capitib9 perinde ut maritorum imposita. Recentissimum, & incredibili splendore ac inusitata Pompa peractum exemplum sistit tabulisq; æternitatis consecrat Coronatio Sereniss. CAROLAE SOPHIAE Electricis Brandenburgicæ, & nunc Reginæ Prussicæ. Nam XIIX. Febr. auspicatissima Genti Prusicæ ac Brandenburgicæ die, non solum Serenissimus Elector in Regem inunctus & coronatus est, sed & Serenissima Conjux iisdem ceremoniis solennissime coronam accepit.



DISSERTATIO V.

De

IMPERATORIIS RESERVATIS.

SUMMARIA.

Difficultas materiæ de Reservatis Imperatoriis. *Nonnullorum circa illam imperitia & adulatio.* §. 1.
Cautio necessaria in explicatione hujus doctrinæ, ne Reservata Imperatoris & superioritas Statuum territorialis temere opponantur. §. 2.
Insufficientia Brocardicorum nonnullorum, quæ vulgo ad explicationem horum jurium afferuntur. §. 3.
Reservata hæc Legibus publicis non sunt recensita, & quare ad instantiam aliorum Ministri Cæsarei illa specificare noluerint. §. 4.
An Reservatum Imperatoris sit jus primarium precum? §. 5. *Elector Brandenburg. gaudet hoc in suis Capitulis Masculinis & Electrix in cœnobiis fœmininis. ibid.*
An jus Academias erigendi? §. 6. *Pontifex idem olim sibi vindicavit ibid. quare Status Privilegia adhuc impetrent à Cæsare? ibid.*
Inter Reservata Cæsaris vulgo numeratur jus creandi Reges, Principes &c. Epicrisis. §. 7.
Quid ex jure Naturæ & Gentium statuq; hodierno hic observandum sit. §. 8.
Exempla vetusta Regum ita creatorum perpenduntur. §. 9.
Fürstenerii philosophia in hac causa expenditur, monitum ex regulis prudentiæ adjicitur. §. 10.
Jus nobilitandi Statibus asseritur cum Dn. Coccejo. §. 11.
Jus Civitates condendi non potest ad Reservatum Imperatoris referri §. 12.

§. I.



X delicatioribus Jurispublici materiis præcipua fere est, quæ de *Reservatis Imperatoris* agit: dum ex una parte Cæsaris præeminentia; ex altera vero, sublimis & excelsa Superioritas Statuum territorialis, caput extollunt. Qui ad unum horum scopulorum impingit, apud Cordatos rerum politicarum æstimatores, vel adulationis suspicionem incurret; aut si ex bona fide scripserit, imperitiam tamen status Imperii Germanici prodet. Utriusque hujus vitii autem postulantur a plerisque rei *Reinkingius* & *Stamlerus* Panegyristæ Reservatorum Imperatoriorum. Non obscura certe indicia favoris imo potius adulationis prostant in utroque, ut adeo non insipidum, (uti alias solet esse,) sit judicium Pacifici a Lapide *in stri- Bur.ad Menzamb. P.1. Disc.10.§.15.* quando existimat, *Stamlerum cum* Rein-

Reinkingio suo nimio affectu in Imperatorem abreptos, plura ipsi soli adscribere, quam ille forsan sibi poscat, poscere possit, aut etiam debeat. Interim jure dubitaveris, an affectus adulationis speciem præ se ferens manifestior fuerit inscitia genuinorum principiorum Jurisprudentiæ publicæ. Hoc certum est, nil frequentius apud hosce occurrere, quam ut hoc vel illud reservatum Imperatorium lubrico legum Romanarum fundamento superstruant. Nil unquam in Codice legerunt, quod hoc vel illud jus pertineat ad Imperatores Græcos, simul ac applicarunt hoc ad Imperatores Germaniæ ejusque statum publicum, licet ille, quo ad formam regiminis, tantum distet ab Imperio Græcorum Constantinopolitano, quantum cœlum, licet Empyræum sit, a terra. Inde non est mirum, hos & similes flosculos deprehendi: Imperium est solius Imperatoris ac quasi in ejus marsupio, vid. Stamler. *de Reserv. Imper. p. 153.*

§. II. Quanto satius itaque est, in hac doctrina de reservatis ita versari, ut comparatis juribus veteribus Imperatorum cum statu moderno, neq; præeminentiæ Imperatoris, neque juribus Majestaticis Statuum jure proprio possessis minimum detrahatur. Regalia jura omnia quæ ad Civitatis conservationem necessaria posident Status jure proprio. Ergo dici posset, etiam illa minuta jura quæ sub nomine Reservatorum exercet Imperator in ipsorum territoriis, ad illos spectare. Et quis tandem hoc valde in dubium vocare posset, postquam celeberrimi scriptores pleraque horum reservatorum Statibus vindicaverunt. Jus *erigendi Academias* Principibus nostris competere, Dn. Rhetius *Diss. de Jur. Stat. circa sacra cap. 3. f. Jus nobiles creandi*, Dn. Coccejus *pecul. Diss.* solide iis asserunt. Alii, inprimis Dn. Schvvederus, pleraque jura reservata Statibus adscribunt. Imo cum in Instrum. Pac. Galli & Suevi Cæsareanos urgerent, ut numerum & catalogum horũ Reservatorum ederent, illi hoc declinarunt, quod miratur & subjungit elegans judicium Itter9 *de Grad. Academ. Cap. 6. §. 3. p. 99. seqq.* Ergo de Reservatis juribus sic ftauendum esse duco. Reservata sunt certa Jura Cæsari, quæ ille exercet in territoriis Statuum hisce volentibus, & non refragantibus, imo & petentibus interdum. Fit hoc a Statibus ex reverentia & recordatione pristinorum temporum,

& quod aliquale schema & vinculum supeꝛesse velint, unde figura unius Reipubl. appareat. Ubi nunc indoles rerum civilium svadet, ut Imperatores civilitatem Principũ humanitate compensent, & ea quæ honoris & commoditatis gratia ab ipso petuntur, Statibus petentibus, maxime potentioribus, non denegent. Nam & idem postulat lex humanitatis, ut iis, qui majorem reverentiam & obsequium strictius debent, minor, qui minorem, major humanitas exhibeatur. Unde patet, omnia hæcce reservata fine oppositione Jurium Statibus competentium, tali temperamento explicari posse, imo ex usu rerum præsentium explicari debere, add. Dn. Thomasii *Disp. de injust. oppos. Jur. Stat. & Reserv. Imp.*

§. III. Consulto igitur hic abstinemus a regulis, quas ad explicationem ReservatorumImperatoriorum communiter formant. Tales sunt: *Cæsarem a nullo majestatis jure excludi; In quibusdam vero eum solum habere arbitrium.* vid. Boecler. *Not. Imp. l. 4. c. 1. n. 4.* Schweder. *P. spec. sect. 1. c. 4. §. 1.* It. axioma Lampadii & Itteri: *Omnia imperandi jura esse Cæsaris propria in quorum communionem Ordines per leges publicas non sint assumti.* &c. Laudat talia axiomata Kulpisius *ad Monzamban p. 180.* Nobis vero non videntur rem exhaurire, sed ambigua & dubia esse, imo ex parte etiam falsa hypothesi niti, nempe Reges Germaniæ *admisisse Ordines in consortium*; cum potius illud invertendum sit, quod ab Ordinibus illi sint recepi. Quicquid enim de statu Germaniæ sit tempore Carolingorum, tamen hac stirpe in Germania extincta, illa libera Conrado Imperatori obtulit potius feuda sua, quam ab eo accepit. Inde conditio inæqualis fœderis arcessenda est.

§. IV. Propius vero nunc accedamus ad Reservanta Imperatoris singula excutienda. Sequemur vero ordinem quo vulgo utuntur Publicistæ. Nam, ut modo adductum est, legibus publicis non est recensitus aut definitus, nec ausi sunt Legati Cæsarei ad provocationem paciscentium eum definire, haud dubie, ne paucitas eorum in oculos incurreret, & quia expedire judicabatur, rem sub vulgari & ampla opinione plerorumque intactam relinquere.

V. Primo

§. V. Primo loco semet sistit *Jus primariarum precum*, vi cujus per universum Imperium in quolibet Capitulo vel Cœnobio, immediato & mediato, semel unam personam, sed secundam naturam beneficii idoneam, in mensibus tam papalibus quam Capitularibus vacans, immediate vel mediate repræsentat ita, ut precista omnibus sit præferendus. vid. Dn. Fritschii *Differt. de Primar. Prec.* Descedit hoc jus revera ex Majestatis Civilis jure circa sacra, quod ad Henricum V. usque habuerunt Imperatores nostri, ast Pontificum Romanorum impotenti dominatione in sacris tenues hæ reliquiæ Imperatoribus remanserunt, quas insuper, accedente temporum superstitione, tanquam privilegium Pontificis consideraront. *An vero hodie Imperator hoc jure primariarum precum utatur in toto Imperio & inprimis in Ecclesiis Protestantium* ? merito quæritur. Negat hoc Willerus Assessor Cameræ in Consilio super casu *cum Imperator in Capitulo Colbergensi hoc ipsum jus exercere intenderet*, conscripto apud Schwanm. *Decis. Camer. 8.* & Stephan *de Jurisd. lib. 3. p. 1. c. 4. n. 21.* Verum hæc scribebantur ante Instrumentum Pacis Westphalicum. In hoc vero *Artic. V. §. 26.* cautũ est, quod Cæsarea Majestas, in quibuscunque fundationibus mediatis 1624. die 1. Jan. hoc jus exercuit, exercere debeat etiã in posterum conf. Burgold. *ad Instr. P. p. 2. D. 11. membr. 2.* Unde patet, Imperatoris jus non esse integrum hodie per totum Imperium, sed tantum in illis locis, ubi in possessione fuit ante solennem terminum 1. Jan. 1624. Sic speciatim Sereniss. ac Potentiss. Electorem Brandenburgicum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis sui territorii hoc jus exercere, testatur Illustr. Dn. de Rhetz. *Instit. Jur. publ. lib. 1. tit. 16. §. 8.* Ill. Dn Stryk *de Jure Papali Princ. Evangel. Cap. 4. §. 5.* Limnæus *de Jur. P. in Addit. L. 1. cap. 9.* Schepliz *ad Consvet. March. p. 1. t. 1. §. 2. n. 4. seqv.* Hinc cum Serenissimæ Electrici Brandenburgicæ hoc jus denegaretur in femininis fundationibus, legatus Brandenburgicus Ratisbonnæ desuper gravem querelam instituit, cujus memoriale exhibet Dn. Schilt. *de Libert. Eccles. Germ. in Addit.*

§. VI. Jus *Academias sive Universitates Studiorum*, ubi IV. Facultates, quas vocant, florent, *confirmandi*, soli competere Imperatori, tanquam reservatum, plerorumque calculo

adprobatur. Uti vero Pontifices Romani multa jura Imperatorum, quæ ipsis in Imperium olim competebant, ad se pertraxerunt, ita & hoc Academias confirmandi jus sibi vindicare studuerunt, & exercuerunt etiam ob nimiam pietatem seculi erga Sedem Romanam. Inde factum est, ut Status Imperii novas Academias condituri, olim magis solliciti essent de concessione & privilegio Pontificis, quam Imperatoris. Exemplo potest esse nostra Halensis Fridericiana. Hanc urbem jam ante duo fere secula Marchio Brandenburgicus Albertus, Magdeburgensis Præsul, Academiæ erigendæ destinaverat, desuper impetrato Privilegio Pontificis, quod integrum legitur in *Historia Inaugurationis Academiæ Fridericianæ* a Celeberrimo Dn. Christoph. Cellario sacris auspiciis edita. conf. etiam Illustr. Dn. Strykii *laud. Diss. de Jure Papali Princip. Evangel. in fin.* Sane qui hierarchiam Papalem paulo attentius considerat, fatebitur graves causas habuisse Papam, ut sibi hoc jus confirmandi vindicaret. Academiæ enim erant primariæ columnæ superstitionis Papalis, unde deceptio in totum mundum propagabatur. Ergo Papa debebat curam gerere. Verum hodie Pontifici non competere amplius hoc jus, apud Protestantes in confesso est. Imo & Status posse propria autoritate Academias erigere, cordatiores Publicistarum fatentur cum illustri Dn. Rhetio *Diss. de Jur. Stat. circa Sacra Cap. 3. in f.* Conf. Dn. Thomasii *Cogit. menstr. d. 1688. p. 556. & ad Monzamb. c. 5. §. 28. l. a. p. 303.* Ut adeo illorum opinio qui existimant cum Bœclero *Not. Imp. l. 23. c. 1.* institutas a Statibus Academias, sine auspiciis Imperatoriis, jus, mensuram & nomen Universitatum implere non posse; magis credulitate quam justis rationibus niti videatur. Interim suadet prudentia, inveteratæ huic opinioni aliquid indulgere, & majoris commoditatis gratia privilegia Imperatoria impetrare, uti & in novissimis fundationibus hoc factum esse meminimus.

§. VII. Succedit Jus Imperatoris, quod sibi circa augendas & concedendas dignitates ornandosque titulos reservasse fertur. Atque huc referunt jus creandi Reges, Archiduces, Duces, Principes, Landgravios, Marchiones, Comites, Barones &c. Videas hodie tam secure a plerisque scriptori-

prioribus Juris Publici adducere, ac si omnia cum usu hodierno, moribus gentium, genio seculi amice conspirarent. Decepit haud dubie plerosque, qui exemplis quam rationibus malunt pugnare, quod legerint in annalibus vetustiorum temporum, hunc vel illum Regem creatum esse ab Imperatore, quod & Dn. Schvvederum *Jur. publ. part. spe. sect. 1. c. 7.* haud dubie abripuit. Confer etiam Vitriarium *Jur. Publ. l. 1 tit. 8.* Verum, si hodiernorum temporum genium accuratius pensitemus, non videtur, quod huic sententiæ subscribendum sit. Quod si enim quis illud jus trutinæ experientiæ ususque hodierni subjiciat, haud dubie deprehensurus est, prætensum hoc jus Imperatoris, neque in Jure Naturali aut Gentium fundari, neque exemplis illis evinci; ab eoque recedere genium seculi præsentis.

§. VIII. Meretur vero occasione Reservatorum Imperatoriorum isthæc res, ut plenius illustretur. Equidem quod jus Naturæ & Gentium attinet, puto ex regulis ejusdem manifestum esse, quod ad titulum Regium & Insignia seu qualecunque nomen, quo summa & independens in Civitatem potestas uni homini inhærens exprimitur, nil requiratur, quam liberum territorium quod satis virium alit, non solum Domi subditos manu militari regendi; sed & exercitum extra fines Regni ducendi, armis, fœderibus, legationibus, Gvarantiis aliquid momenti ad Rerum Europæ Generalium Summam conferendi. Hinc *la Souverainité de Neuf-Castel de MS. de Longeville, la Souverainité de Dombes, la Souverainité de Sedan, la Souverainité de Bidache, Respublicam S. Marini* in Italia, Furstenerius p. 43. a *Suprematu*, multo magis a mensura veri justique Regni excludit.

§. IX. Qui autem exemplis Regum corona cinctorum ab Imperatoribus nituntur, illi oppido svaves sunt, nec distingvunt diversa tempora. Multa medii ævii, aut temporum duo ultima secula præcedentium simplicitas, superstitionis mater, admisit, quæ hodie prudentia & politica damnat. Insita illa vetusque persvasio, totam Christianitatem unum corpus Reipublicæ efficere, ubi Imperator esset caput temporale, fons omnium dignitatum, in causa fuit, ut Principes ob majorem splendor-

splendorem putatitium assumserint titulum regium ab Imperatore, sed num propterea jus exsculpendum est, quod Imperator possideat instar reservati? Etiam Pontifices Reges Croatiæ & Dalmatiæ crearunt, Hiberniam in Regnum evexerunt, conf. Diplomata apud Baron. *Tom. XI. Annal. p. 484.* & *Tom. XII.* ad *an. 1130. & 1139. & eodem Tom.* ad *an. 1191. & 1179* Igitur & reservatum Papale admittendum est, si exemplis stare volumus & non rationibus.

§. X. Fateor hinc lubenter, lubricum argumentandi genus elegisse Furstenerium, quando Cap. XXXII. p. 147. postquam mentionem injecisset Regum ab Imperatoribus creatorum, subjicit: *Ex quibus intelligi potest, aliquam Cæsari in toto Christiano orbe jurisdictionem esse*, rectius: *fuisse*. Nam illæ nebulæ dispulsæ sunt, orta inter alia etiam luce politica, sub Reformatione Evangelica. Non videtur propterea Hippolythus a Lapide præter rē notare veterū imprudentiam, quod summā potestatem habentes, ab Imperatore vel PōtificeReges salutari voluerint. *de Rat. Stat. Germ. Part. 1. c.* 16. ad quem locum, quæ Schluterus ejus antagonista movet, extra quæstionem sunt, & ad rem nil faciunt. Interim hoc fatemur lubentes, Imperatorem esse Principem primarium Christiani Orbis, & hoc intuitu Caput vocari posse, ratione scilicet dignitatis non potestatis. Quando hic præit in agnoscendo alicujꝰ Charactere & insignibus, quæ Deus & liberum territorium Domino suo largiuntur, tunc certe ex regulis politices & prudentiæ augurari licet, reliquos Principes omnes vestigia ejus pressuros esse. Sic Neomagi, in solenni illo confluxu politicorum, Galli profitebantur, quod Cæsaris exemplum in ceremonialibus ratione Legatorum essent secuturi. conf. Furstenerius *de Suprematu p. 14.* Cum igitur exteri potentesque Reges ac Principes promptos paratosque sese declarent exemplum Imperatoris sequi; quanto magis ab Ordinibus & Statibus Imperii hoc exigit ac postulat tum autoritas Sacræ Cæsareæ Majestatis, tum & vinculum ordo & nexus, quo obstricti vivunt Imperatori, tanquam Capiti suo, reliqua membra ac Status. Accedit, quod splendor & gloria Coronæ, quando illa membrum Imperii aliquod a

Deo

Deo & libero populo suo ornatur, redundet etiam suo modo in reliquum Corpus, cujus membrum, quo ad reliquas Provincias Imperio unitas, non desinit esse talis Rex noviter coronatus, sed potius splendorem Imperii auget, dignitatem lapsam & imminutam reparat, & eo magis ansam nanciscitur, vires ac robur Regni reliquarumque Provinciarum impendendi ad procurandam & conservandam salutem Imperii illius, quod tum appellatione, tum & dignitate aliquid eximium habet præ omnibus Regnis Europæ. Tantum igitur abest, ut præjudicium Imperio ex tali actu oriri possit, ut potius eidem gratulandum sit de nova dignitate, qua unum ex membris ejus primariis, auctum est, de qua non potest non simul etiam participare.

§. XI. Reliquos titulos uti Ducum, Principum &c. Imperatorem largiri posse, lubenter admittimus. De *Jure Nobilitandi* illud notari meretur, quod haud pauci sint ex doctissimorum scriptorum numero, qui negant, jus hoc reservatum esse Imperatoris, sed omnibus Statibus competere. Conf. Dn. Cocceji *Diss. de Potestat. Statuum Imper. circa dignitat. Cap. 3*, ubi solide hoc deducit. Nec obstat, quod nonnulli Status v. c. Archi-Dux Austriæ, per Privilegia hoc Jus exerceant. Nam data illa fuere vel majoris cautionis aut splendoris ergo, vel quia privilegio illo plus continetur, scilicet jus creandi non solum nobiles, sed & Comites & Barones. Nec potest impetratio talis privilegii aliis obesse. Dn. Coccejus *l. c. §. 20.* Denique ex mera permissione jus hoc creandi nobiles proficisci, satis patet ex circumscriptione Sereniss. Elect. Brandenburgici, in cujus terris subditus Nobilitatus ab Imperatore non agnoscitur, nisi prius causas in Aula indicaverit, & sic consensum impetraverit ad petendam illam dignitatem. vid. Kulpis *ad Monzamb. c. 5. §. 27.*

§. XII. *Jus civitates condendi in Imperio* nemo non veterum Publicistarum Imperatori adscribit. Prudentiores tamen hodie aliter sentiunt. Sic Dn. Schwederus *Jur. Publ. Part. Spec. Sect. I. c. 18. §. 3.* expresse hoc jus vindicat superioritati territoriali Statuum. Imo res ex rationibus & exemplis adeo clare potest evinci, ut illi qui hæc non capiunt, præjudiciis veterum plane immersi videantur. Exempla urbium pro-

priis auspiciis conditarum attulit Schvvederus *loc. cit.* Quibus addere possumus tot urbes in terris Brandenburgicis recenter conditas, quales sunt Potsdam / Dorotheen-Stadt / Oranienburg / Friederichs-Werder / Friederichs-Stadt. Sic 1671. fundavit Rex Sueciæ, in Bremensi agro, *Carolstadium.* In favorem Gallorum Reformatæ religionis, Privilegia Civitati *Erlangiæ* indulsit Sereniss. Marchio Brandenburg. Christianus Ernestus. Nil ibi auditum fuit, cum conderentur, de confirmatione Imperatoria, quam impetrare genius seculi non amplius admittit. Ante paucos annos Serenissima Princeps Anhaltina, ex Domo Auriaca oriunda, Henrica Catharina, vicum Oranien-Baum jure Civitatis donavit, sine alterius interventu aut auspiciis. vid. Diploma hujus rei adductum in Dn. Thomasii *Diss. de Jure Stat. Imper. dandæ Civit.* §. 43. Prohibitiones vero quæ adducuntur Comitibus Wertheimensibus, Mansfeldicis & aliis factæ, pertinent ad illa tempora, in quibus nesciverunt Status sua jura superioritatis.

§. XIII. Connexum cum jure Urbium condendarum videtur esse *Jus Postarum* das Post-Regal / quod an Statibus; an Imperatori vindicandum sit, acriter disceptari solet. Esse illud consequens superioritatis territorialis, atque exinde Statibus hoc jus tribui debere, minime vero ad reservata Imperatoria pertinere, pluribus demonstrare annixus est ille, qui sub Emerani Accoldi schemate latere voluit, Im gründlichen Unterricht von dem aus Landes-Fürstlicher Hoheit herspringenden Post-Regal der Chur-Fürsten und Fürsten des H. Röm. Reichs / *Capit. II.* conferantur etiam literæ Statuum inferioris Saxoniæ, jus Postarum concernentes, apud Dn. Fritschium *Elect. Jur. Publ. p. 2. c. 11. n. 4.* Accedit, quod pro hac sententia militet ipse usus rerum præsentium, dum in terris Saxonicis, Brandenburgicis & aliorum, rarior aut nullus usus Postarum a Cæsarea Majeste pendentium. Interim negari non potest, non ante longum tempus hoc jus publico diplomate literas & res transmittendi, sive Postas, unice exercuisse Imperatorem in Statuum territoriis. Illæsum etiam mansit exercitium hoc usque ad tempora Pacis Westphalicæ. Circa hæc Status nonnulli potentiores, considerantes incommoda circa jus belli & Pacis

Pacis, indeque fluentes correſpondentias, vel commercium literarum, item Commerciorum in ſuis terris inſtituendorum florem pendere ab accurata curſuum publicorum inſtitutione, anſam inde arripuerunt ejusmodi Poſtas inſtituendi. Primus fuit Sereniſſ. ac Potentiſſ. Elector Brandenburgicus FRIDERICUS WILHELMUS M. qui 1658. ſuis in Provinciis Poſtas ordinavit, quem, re ex voto ſuccedente, inſecuti ſunt alii. Verum præter haſce, Curſuum Cæſareæ Majeſtatis per Imperium magna eſt autoritas & uſus, quod inter alia patet ex *Capitul. Joſephi* §. 34. Nicht weniger wollen Wir den General-Erb-Reichs-Poſtmeiſter dahin halten / daß Er ſeine Poſten mit aller Nothdurfft wohl verſehe. Promittit etiam futurus Imperator in eodem hoc Articulo, quod Poſtas Imperiales conſervare velit. Verba ita ſeſe habent: Wir ſellen und wollen aber zu gäntzlicher Aufhebung deren zwiſchen Unſern Poſt-Aemptern hafftenden Differentien / in erwegung des vom Churfürſtlichen Collegio in A. 1641. auf dem Reichs-Tage zu Regenſpurg / wegen des Reichs-Poſt-Ampts eingegebenen Gutachten / und der in ſelbigen Reichs-Abſchied beſchehener Verordnung / **die beſtändige Verfügung thun / daß unſer** *General*-**Obriſt-Reichs-Poſt-Ampt / in ſeinem** *Eſſe* **erhalten / und zu deſſen Schmälerung nichts vorgenommen / verwilliget oder nachgeſehen** &c. Huc porro pertinet Supremi Poſtarum Magiſtri per Imperium officium, das General-Reichs-Poſt-Meiſter-Ampt / de quo inveſtitus eſt *Comes de Taxis* Bruxellæ habitans, qui hos curſus dirigit per Subofficiales ſuos, vid. Hornick. *de Regali Poſtarum jur. Theor. I. c. 6. n. 5.* qui ibidem ſimul teſtatur, Electorem Moguntinum eſſe Protectorem harum poſtarum. Cum hoc vero non confundendus eſt *Comes de Paar*, qui Poſtarum officio itidem inveſtitus eſt, ſed tantum quo ad terras Auſtriacas, Hornick. *cit. loc.* Ad imitationem hujus rei, Status potentiores etiam hodie hæreditario jure contulerunt Jus *Supremi Poſtarum Magiſtri* in ſuis provinciis primariis nonnullis Miniſtris, quæ dignitas non minus ampla, quam lucroſa eſt.

§. XIV. Imperatorem, vi juris ſibi reſervati, *ſolum poſſe cognoſcere abſque Principum Imperii conſilio ac judicio de Feudis Regalibus*, plerorumque veterum Publiciſtarum ſententia eſt, quos

longa serie recenset Schvved. *Jur. Publ. P. Spec. Sect. l. c. 9. §. 11.* Ast non minor numerus asserit; non solum Imperatorem, sed & Pares Curiæ, sive reliquorum Statuum nonnullos judicare cum ipso debere. Quod de vetustis temporibus omnino asserendum videtur. Tot enim exemplis hoc comprobant B. Conringius in *Diss. de Judiciis Germ.* & Dn. Textor *Disp. I. ad R. Imp. de 1654. th. 65.* ut hoc negare velle impudentissimum foret. Inde enim descendit *Jus Principum* das Fürsten-Recht / quod adeo extollunt Lehmannus *in Chron. Spir. L. 2. c. 9.* Limnæus *J. P. L. 2. P. 1. c. 9. n. 32.* Dn. Textor *de Rat. Stat. c. 21.* Attamen sicut usus Parium in Curiis Statuum & Principum ipsorum in desvetudinem fere abiit, & causæ illæ in ipsorum Curiis coram Consiliariis tractantur, ita etiam in ipso Imperio contigit, ut regulariter & ab initio in Senatu Aulico Imperatoris ventilentur, ex causa tamen etiam in Comitiis, vel alias extra ordinem per Deputatos Cæsareos. vid. Dn. Schilt. *Inst. Jur. P. L. 4. t. 5. §. 4.* Itter. *de Feud. Imp. c. 25. §. 10.* add. *Ordin. Jud. Aul. tit. 2.* Nec illud rerum Imperii peritus temere infitiabitur, prudenter facere Imperatorem, si in adjudicatione feudorum magni momenti, saltem Directorum & Ducum Circuli illius, in quo feudum situm, consilia expetat. add. *Capit. Leopoldi artic. 30: in fin.* Facile enim possunt alias motus oriri, uti novissime in causa Gustraviensi Mecklenburgica vidimus.

§. XV. Si nomine Imperii *legationes sint mittendæ*, aut *illæ recipiendæ*, plerique unicas partes Imperatori tanquam reservatum adscribunt. Ast notum est, quod tunc in Comitiis, de re committenda legato, deliberatio institui soleat, & quod sic ut jus peculiare Imperatoris considerari non possit, quamvis huic ceu Capiti, majoris splendoris ergo, soleant primæ partes adsignari. vid. Conring. *de Republ. Rom. Germ. Exerc. 8. th. 98.* Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 20. §. 1.* Idem dicendum est, quando legati exteri ad Imperium mittuntur, tunc enim non a solo Imperatore audiuntur, sed in Comitiis comparere debere, asserit Lehmannus *Chron. Spir. L. 7. c. 12. 4.* Hippol. a Lapide *de Rat. Stat. P. 1. Sect. II. c. 14.* Exemplum illustre præbet Ferdinandus III. 1641. Legatum Turcicum ad Imperium missum, ad Comitia Ratisbonensia remittendo.

§ XVI. Offi-

§. XVI. Officium judicandi circa *Controversias Statuum ratione præcedentiæ in Comitiis*, itidem Imperatori integrum esse, haud pauci perhibent. Notum enim est, quantæ sint controversiæ Principum inter se ratione voti, sessionis, præcedentiæ. Illustriores lites de hac re sunt inter Comites Palatinos ad Rhenum & Duces Bavariæ; omnes Saxonicos Duces cum Palatinis & Bavaris. Marchiones Brandenburgici in Culmbach & Anspach cum Ducibus Saxoniæ & Comitibus Palatinis alternativam quærendo, Duces Pomeraniæ, Mecklenburgenses, Würtenbergiæ, Hassiæ Landgravii & Marchiones Badenses inter se, Duces Saxo Lauenburgici cum Ducibus Holsatiæ & Principe Mindensi &c. Similiter in *Scamno Ecclesiastico* Magister Ordinis Teutonici cum Episcopo Bambergensi, Magister Ordinis Joannitici in Germania cum Abbate Campidunensi, Elvvangensi, Murbacensi &c. In Scamno Civitatum, *Cöln* & *Achen*, *Lubeck* & *Worms* &c. litigant de præcedentia, conf. Dn. Schvved. *Jur. Publ. Spec. Sect. I. C. X. §* 13. Optandum foret, ut Imperator has lites, quæ sæpius harmoniam animorum Germaniæ Statui pernecessariam, turbant, componere posset. Verum experientia testatur, ne unicam controversiam ab Imperatore fuisse compositam, nec rem expediri potuisse, nisi alternativa placuisset, conf. Schvved. *loc. cit.* Rem sorti committere litigantibus haud arrisit, licet Imperator hoc remedium proposuerit. vid. Schvved. l. c. Mors, quæ omnia solvit, interdum etiam has diremit lites. Sic extincta linea Altenburgensi controversia illa cum Vinariensi desiit, de qua vid. Goldasti *Tr. de Senioratu.* Patet vero ex hisce quid sentiendum sit de hoc reservato Imperatoris.

§. XVII. Referunt etiam huc *jus Ultimæ Cognitionis & provocationis*, vi cujus a Subditis Statuum in casu protractæ & denegatæ justitiæ possit provocari ad Imperatorem. Verum cum hoc jus Imperatoris in novissimis Capitulationibus valde sit restrictum per *litteras informatorias* & alia, pauca restant etiam hic monenda. Nam quidam gaudent illimitato privilegio de non appellando, vid. Schvved. *J. P. Sect. I. c. XI. §.* 2. Ubi exceptio *denegatæ justitiæ* frustra hic constituitur, cum casus dabilis vix occurrere possit, conf. Dn. Tit. *Spec. J. P. l.* 5. *c.* 15, 15. reliqui Status usque ad certam summam habent, ultra quam in pro-

 cessibus.

cessibus civilibus provocatio ad Cameram datur. Ubi hoc jus exercetur in Summis Imperii tribunalibus, Schvved. *Jur. Publ. P. Spec. Sect. I. C. XI.* Tribunalia vero illa dependent ab Imperatore & Imperio simul, hinc ex spontanea Statuum subjectione hoc fit, de quibus infr. *Diss. XI.* plura dicendi occasio erit.

§. XVIII. Eo etiam referri potest, quod de Confirmatione Imperatoria *tutelarum illustrium*, *Veniæ impetratione* & *legitimatione personarum illustrium*, aliisque eo pertinentibus actibus, in medium communiter adducitur. Confirmationis Imperatoriæ, ratione tutelæ Principum, illustria exempla attulit Dn. Stryk. *Diss. de tutel. matern. Princ. Cap.* 3. Nihilominus adsunt multa exempla, ubi confirmatio illa nunquam petita est. Sic Electrix Bavariæ Maria Anna, nomine pupilli Recessui de 1654. subscripsit per legatum, nihilominus confirmationem Imperatoriam nunquam petiit. Paria exempla in Domo Hassiaca & Anhaltina. Imo haud pauci tutores illustres vel non petunt confirmationem Cæsaream, vel petitam ex Cancellaria Imperii non redimunt, Man lässet sie uneingelöset liegen/ de quibus testatur *alleg. Diss. cap.* 3. §. 13. qua etiam nec opus videtur, quamdiu pupillus Princeps nullas cum alio Principe controversias habet. Nam Legati Tutorum nomine Pupilli ad Comitia, si de cetero plenissimum mandatum a Principali suo offerant, ad productionem confirmationis Cæsareæ non solent compelli. Dn. Stryk. *laud. Dissert. cap.* 3. Idem dicendum de veniæ ætatis petitione. Postquam enim inter Publicistas invaluit opinio, Principes inter se uti jure privatorum, exinde non potuit non fluere conclusio: Ergo ante XXV. ætatis annum Principes non sunt majorennes & idonei ad regimen, nisi per privilegium brevius spatium impetrarunt, quales Domus nonnullæ habent, quas recensent Limnæus *de Jur. Publ. L.* 3. *c.* 7. *n.* 41 Myl. ab Ehrenbach. *de Stat. Imper. P. I. c.* 29. §. 6. Interim si Princeps in suo territorio ante completum terminum 25. annorum habenas regiminis capessere vellet, quis ipsi hoc negare vellet aut posset? Interim si in toto Imperio pro Majorenni Principe haberi cuperet, consultum est, veniæ petitionem impetrare ab Imperatore. Atque huc

huc pertinet Diploma veniæ ætatis, quod 1693. Invictiss. Imperator Leopoldus, Eberhardo Ludovico Duci Wurtenbergiæ, decimum septimum ætatis annum agenti, concessit. Quamvis enim jure Civili privatis ante 20. annum veniæ impetratio concedi non soleat, in personis illustribus tamen etiam intra annum XX. fieri potest. add. Dn. Schilt. *J. P. Lib. 1. tit. 13 §. 7.* Dn. Ringler *de tutel. illustr. cap. 1. § 8.* Eandem veniam impetravit Sereniss. Dux Megapolitano-Sverinensis, Fridericus Wilhelmus 1692. 17. ætatis anno, ut & Sereniss. Marchio Brandenburgo-Onoldinus, Georgius Fridericus 1694. 16. ætatis anno. De Legitimatione Imperatoris solenne exemplum extat in Comite Oldenburgensi *Antonio*, qui ab Imperatore Ferdinando III. legitimis natalibus donatus, atque in Comitiis Ratisbonensibus 1654. S. R. Imperii Comitis titulo decoratus est. Vitriar. *J. P. L. 3. tit. 2. §. 13.*

§. XXI. Supersunt adhuc alia jura reservata quæ Imperator exercet per Imperium. Sed quia exigua sunt & minoris momenti, solent illa concedi hominibus privatis, interdum etiam Academiis, uti *Hallensi* & *Kiliniensi*, & tunc illa nomine Imperatoris, in Statuum territoriis in actum deducuntur. Vocantur vero hi, qui tali potestate gaudent, *Comites Palatini Cæsarei* Reichs-Hoff-Graffen/ qui & interdum *Comites S. Palatii Lateranensis* dicuntur. Potestas cujusvis, modo amplior, modo strictior dependet a Diplomate vel concessione Cæsarea, quæ in casu obveniente inspicienda. Conf. etiam Mundius *tr. de Comit. Palatin.* Sagittarius *tr. ejusd. tit. aliiq.* Plerumque potestas eorum consistit in creatione Notariorum, legitimatione spuriorum, ubi tamen raro solet concessio extendi ad legitimationem spuriorum Baronis, Comitis, multo minus Principis. Dicis: Quid causæ, cur non Principes Notarios creare possint, cum tamen multa splendidiora Officia largiantur? Fateor, Principes posse etiam Notarios constituere, legitimare & reliqua exercere. Imo exercent etiam, dum haud pauci hodie legitimationem a Principe, in cujus territorio recipi cupiunt, impetrare solent, qui & propterea ad opificia sunt admittendi. Interim tamen ex opinione inveterata, illi actus extra territorium non valent, quamvis leges humanitatis & mutua benevolentia Statuum hoc omnino jubeat ac svadeat, & fieri potest, prout sunt aspectus rerum præsentium, ut Germania etiam hic patiatur mutationem. Hinc creatio Notariorum & legitimatio, item graduum collatio, quia sunt actus transeuntes, h. e. quorum vis in multis territoriis debet esse efficax, consulto tolerantur ut & qui nomine Imperatoris talia expediunt, hujus enim autoritas, quæ pondus largitur Comitibus Palatinis, extendit sese in hisce per totum imperium, ita ut Notarii Cæsarei documentum, cæteris paribus, ubique pro valido habeatur. Illud vero miratur merito illustr. Dn. Strykius *in Not. ad Lauterbach p. 631.* qui fiat, quod hactenus Notarii in su-


is Instru-

is Instrumentis solum nomen Imperatoris regnantis, & non simul Principis, in cujus territorio degunt, nomen titulumque præmittant conjunganrve, cum tamen quilibet Princeps in suo territorio Imperator sit & appellari gaudeat, & hoc ad Principum potestatem simul indigitandam faciat.

§. XX. Refert porro Vitriarius *Inst. Jur. Publ. Lib. 3. tit. 2. §. 17. 18 19.* aliique ad Imperatoria reservata (1) Jus famæ restituendæ subditis Statuum, (2) Juramenti relaxandi (3) literas moratorias sive quinquennales largiendi, quibus Dn. Schvveder. *Jur. publ. part. spec. sect. 1. c. 16.* §. 5. addit (4) jus largiendi exteris facultatem conscribendorum militum. Verum cum hæc jura non possint non impingere in superioritatem Statuum territorialem, in Instrumento pacis notorie iis concessam plenissime; valde dubitare liceat, an Status, maxime potentiores, talia in suis territoriis æquo animo sint laturi. Idem dicendum de Jure *Albergariæ* & *Aperturæ*, quod in Statuum territoriis Imperatori vindicat Vitriarius *J. P. Lib. III tit. 19. §. 95. 1090 101. sequ.* Consistit Jus Albergariæ vero, quod ex Italica lingua in latinam corruptum est, in esculentis & potulentis præstandis Domino transeunti. Verum cum Status sua territoria jure proprio possideant, & Imperatorem pro pleno Domino non recognoscant, facile inde judicare licet, magis Civilitatis hoc esse, quam juris, si Status talia exhibeant. Jus aperturæ itidem, sive ut ipsi transeunti claves Castri offerantur, & undiquaqne liberum transitum habeat, ex eadem lege humanitatis, non vero ex necessitate juris proficiscitur.

§. XXI. Plane vero ad Reservata Imperatoria non pertinet jus investiendi, jus proponendi in Comitiis, quæ Dn. Schvvederus *Jur. Publ. part. spec. sect. 1. c. 9. & 19.* solenniter huc refert. Illa enim jura Imperatori non negantur, sed non ut reservata Competunt enim ipsi ceu Capiti Imperii. Jam vero indoles collegiorum ita fert, ut semper primarius habeat jus proponendi. Idem dicendum de Jure Investiendi, quod ab ipso fit nomine Imperii, quia ille caput Imperii est.

§. XXII. Supersunt adhuc jura circa quarum constitutionem in Imperio Imperator concurrit, sed non solus. Ad nonnulla enim consensus Collegii Electoralis necessarius est; ad pleraque reliquorum Statuum. De prioribus *Dissertatione de Collegio Electorali* sequenti, & de reliquis, suo loco agemus.



DISSER-



DISSERTATIO VI.

De

COLLEGIO ELECTORALI.

SUMMARIA.

Collegium Electorale suas praerogativas debet Carolo IV. Conditori A. Bullae, elogia Electorum in hac §. 1.

Ante A. Bullam quis fuerit Status Electorum? an Origo eorum Ottoni III. adscribenda? §. 2.

Conringii opinio, ad Electores devolutam esse hanc dignitatem a tempore interregni. §. 3.

Illa sententia non est sufficiens, vera origo & antiquitas Collegii Electoralis. §. 4.

Demonstratur quod Historici communiter confuderint duplicem electionem Archiofficialium & reliquorum Statuum. §. 5.

Omnes Sententiae ineptae quae dicunt, vel ab Imperatore, vel a Pontifice quodam Electores constitutos, reliqui Ordines enim hoc non passuri fuissent? §. 6.

Specialis recensio Electorum, & primum Moguntini ejusque jurium. §. 7.

Hodiernus Elector Trevirensis & ejus jura. §. 8.

Elector Coloniensis & ejus jura. §. 9.

Rex Bohemiae quatenus ad electionem Imperatoriam concurrat. §. 10.

Electoris Bavariae jura. §. 11.

Electoris Saxoniae jura. §. 12.

Electoris Brandenburgici potentia prae reliquis, supremum Dominium in Borussiam, inde assumtus titulus & insignia Regia, decus & splendor hinc in Imperium. §. 13.

Electoris Brandenburgici Archiofficium & Insignia. §. 14.

§. I. Ele-

§. I.



Lectorale Collegium firmam ac stabilem dignitatem, prærogativas ac reliqua jura potissima, debet *Aurea Bulla* a Carolo IV. conditæ. Ab eo enim tempore hoc Collegium, nunquam interrupta serie, gavisum est electione summi Capitis Imperii aliisque præeminentiis inde fluentibus. Unde tot encomiis ornantur S.R. Imperii Electores in legibus publicis. In ipsa A. Bulla appellantur **Haupt-Säulen des Reichs.** *Proœm. c. 3. §. 4.* **Grundfeste und unbewegliche Säulen** des H. Röm. Reichs. A. B. *art. 12.* **Edle Säulen** / den Heiligen Bau der fürsichtigen Weißheit mit emsiger Gütigkeit unterhaltend/ A. B. c. 3. §. 1. **Die sieben helle Leuchter des Heiligen Reichs in Heiligkeit eines siebenförmigen Geistes zu erleuchten.** A. B. *Proœm.* **Oberste Väter und Rahtgeber der Teutschen** Nation. vid. Kayserl. Proposition bey der Wahl des Röm. Königs Josephi 1690. Plura ejusmodi elogia congessit novissime Crüger *de novemvirat. Discurs.* 1. §. 1. Existimat autem Christ. Forstnerus *in Epist. p. 200.* Blandimenta illa titulorum & alias favoris erga Electores declarationes adhiberi ab Imperatoribus, ut eo magis promptos in suis desideriis efficiant exequendis. Verum de hac censura alii judicent.

§. II. Quis autem fuerit Status hujus Collegii ante conditam A. Bullam; & quando, exclusis reliquis Statibus, proprie jus eligendi nactum sit; ob deficiens lumen historicum definiri apodictice vix potest. Illud certum interim est, errare omnes illos Autores, quos adducit nobiliss. Dn. Thulemarius *de Octovirata Cap. VII.* §. 8. qui *Constitutioni expressa Ottonis III.* originem Electorum adscribunt. Nam post Ottonem III. per multa secula Principes & omnes Status concurrisse adhuc ad electiones Imperatorias, tot exemplis comprobarunt Onuphrius Panvinius *de Comitiis Imperii*, & B. Conringius Diss. *de Septem viris*,

viris, §. 26. *seqq.* ut hujus rei apud peritos historiarum hujus temporis nullum amplius dubium extare possit. Friderico II. etiam multi magni nominis viri constitutionem Electorum adscribunt. Quamquam autem ex historia Germaniæ constet, post ejus tempora magis magisque ad pauciores redactam esse eligendi potestatem; nihilominus huic opinioni accedere non licet, cum annales refragentur. vid. Dn. Conring. *l. c.* §. 30. Quæ vero Bellarminus & alii Panegyristæ Sedis Romanæ adducunt, ut Pontifici Romano Constitutionem Electorum adscribere possint, hic lubens prætereo, quia constat, in ipso, & similis farinæ scriptoribus, proram & puppim facere non veritatem nudam, sed affectus & autoritatem papalem. Hinc laudatus Conringius solide & mascule, more suo, ista dudum elidit *all. l.* §. 28. Neque enim fuit temere quispiam peritior & magis edoctus ex historia artes Curiæ Romanæ Conringio, quod beati viri laudibus merito tribuimus.

§. III. Probabilior igitur Conringii sententia videtur, quod tempore *Interregni illius Germania*, post Friderici II. mortem; cum Status Germaniæ turbulentissimus esset, & reliqui Status vel ob socordiam, vel ob alias causas, jura sua neglexissent; sensim Officiales Principes ad se solos traxerint Electionem Imperatoriam, postea A. Bulla a Carolo IV. confirmatam. Quæ sententia utut vera sit, non tamen exhaurit totum negotium hoc arduum, & majori illustratione inprimis indiget.

§. IV. Igitur originem Collegii Electoralis ita placet delineare. Constat ex monumentis vetustissimis, quod ab Origine Imperii Germanici illud in *Septem Provincias seu populos* divisum fuerit. vid. supra *Diss. III.* §. 2. *in fin.* Ex hisce successu temporis quinque Duces, illis præfuerunt, inter quos unus Rex esset, reliqui Officia aulica administrarunt. Conf. Dn. Coccejus *Jurispr. Publ. c. 10. 11. 12. 14.* Additi hisce tres Archi-Cancellarii, ob tria distincta Regna, ex numero Episcoporum, quia horum ordo, id temporis, unice literis operam dabat. Hi Archi-officiales, cum officia aulica administraverint,

verint, probabile est, in deliberationibus de negotiis gravioribus, & sic etiam electione Regis, præ reliquis Statibus prærogativa quadam illos gavisos esse. Maxime vero hæc dignitas prærogativas suas exeruisse videtur, cum tempore Friderici I. illa in illustribus Domibus hereditaria evaderet. Unde porro duplex fluit electio Imperatoris. Concurrebant omnes Status & populus ad electionem cum Archi-officialibus, sed diversimode. Status habebant præ-electionem, sive, ut Albertus Stadensis ad *A.1240.fol. 215.* loquitur: *prætaxationem.* Consistebat hæc in nominatione & commendatione aliquot Candidatorum. Archi-officiales autem unum ex hisce eligebant proprie, & huic acclamabant tum ceteri. In hunc sensum intelligendi videntur Historici, qui mentionem faciunt, quod omnes Status usque ad Fridericum II. elegerint Imperatores. Rudes enim sunt omnes ob barbariem seculi illius, & qualitercunque rem delineare contenti. Post hujus mortem vero videntur reliqui & hanc prætaxationem neglexisse, sive quod pertæsi essent motuum inde oriundorum, sive quod Officiales septem non semper eorum commendationem in electione respicerent. Inde postea electio in A. Bulla plene & unice Electoribus asserta & huc usque conservata est.

§. V. Hanc pro genuina assertione de de Collegii Electoralis Origine nonnulli venditant. Certe clarius tradi hæc possent, nisi incidissent in illa tempora Germaniæ, ubi superstitio, ignorantia literarum, & inde orta fœda barbaries, omnia occupaverant. Hinc de gestis majorum pauca scimus, alia præsumimus & per conjecturas desumimus ex bulbutientibus Monachis, penes quos eo tempore qualis qualis cultus humaniorum litterarum & sic etiam descriptio historiæ remanserat. Conjecturæ igitur sunt & hæ de Origine Collegii Electoralis, tales tamen, quæ ex monumentis, quæ nobis supersunt, illustrari possunt. Testimonium Alberti huc inprimis faciens, supra adductum est. Adjuvat etiam hanc Conjecturam *Speculum Saxonicum* circa annum 1220. confe-

ctum, quod *lib. 3. tit. 57.* itidem mentionem injicit duplicis electionis Principum & Archi officialium. Adducunt porro Windeck *de Princ. Elect. Orig. c.* 5. & Gevvoldus *de Septemvirat. p.* 122. testimonia *Welberti* & *Amandi* cujusdam Secretarii Friderici I. quibus corroborari potest, jam eo tempore elegisse Regem Archiofficiales. Cum autem omnium Statuum electionis mentionem faciant nonnulli historici ad Fridericum II. usque; alii autem Officialibus electionem tribuant, non possunt aliter conciliari, quam ut dicatur, nonnullos de prima electione vel potius commendatione, alios vero de electione vera audiendos esse. Nam uti notum est, Historici eo tempore simplices & rudes rem non perspicue & clare, sed rude & superficiarie recensent.

§. VI. Unde, puto, apparet, non institutos esse Electores a quoquam Imperatore, aut Pontifice, sed electionem, quam olim adstrictam habuerunt, tandem plene consecutos illos esse. Illud etiam manifestum fit, nil mystici in numero septenario quaesitum fuisse, ceu vulgo existimatur, sed causam, cur septem fuerint, ex adductis arcessendam esse. Non temere vero hunc numerum augendum esse, facile etiam conjicere licet. Nihilominus salus & quies Imperii suasit etiam istum numerum, licet per multa secula constanter servatum, augendi, quale exemplum in celebri Pace Westphalica contigit, ubi tranquillitati Germaniae consuli non potuit, nisi octavi Electoratus institutione, in gratiam Domus Palatinae facta. Ordo vero Electorum ita placuit, ut Ecclesiasticis potior locus, intuitu sacri characteris quo insigniti, tribuatur prae Secularibus, licet hi, ut & reliqui Principes ex Serenissimis Domibus, antiqua prosapia & splendore Domuum, illos utplurimum antecellant. Necesse igitur nunc erit, ut circa singula Eminentissimi & Serenissimi hujus Collegii membra paulisper subsistamus.

§. VII. Primus in hoc Collegio Electorali est *ArchiEpiscopus & Elector Moguntinus.* Hic totius Collegii *Decanus*, & hinc

hinc ejus potentia & autoritas in Imperio maxima. Propterea etiam in Electione Imperatoria omnes fere præeminentias habet, Electores reliquos convocat tum ad hunc actum, tum ad Diætas Electorales & Collegiales. Jus jurandum reliquorum excipit, proponit, suffragia colligit, Capitulationem conficit ex pluralitate votorum. Præterea est *Archi-Cancellarius* per Germaniam, inde (1) subscribit vel subsignat ipse, vel per suum Vice-Cancellarium Decreta. (2) sigilla Imperatoria asservat, omnium actorum publicorum Archivum habet, & *expeditiones Italicas* ut & *Gallo-Belgicas* etiam per Vice Cancellarium administrat. (3) Directorium habet in Imperii Comitiis. (4) In Aula Cæsarea solus Vice-Cancellarium habet, & ipsi reliqui Ministri Cancellariæ Cæsareæ non minus quam Cæsari juramento sunt obstricti (5) solus omni tempore extra Conventus ab Imperatore literas accipit, per quas die Chur-fürstliche Gutachten eingeholet werden. (6) In propositione Comitiali Cæsari respondet, nomine Electorum & Statuum, (7) Legati, tam exteri, quam Statuum ad Comitia, ipsi literas credentiales offerunt. (8) Directorio Moguntino in Comitiis traduntur omnia memorialia & Acta publica &c. Hæc & multa alia Jura in Imperio habet Elector Moguntinus, ex quibus potiora tantum recensita sunt. Reliqua accurrate, ex *Schedis Baneburgii*, (summi olim in Aula Moguntina Ministri, & hinc jurium Domini sui apprime gnari) congessit Bœclerus *Notit. Imp. Lib. VI. c. 5.* Limnæus autem *Tom. IV. in Addit. ad Jus Publ. L. 3. c. 4.* catalogum exhibet omnium Episcoporum Sedis Moguntinæ, cum quo conjungatur Nicol. Serrarius *Com. de Reb. Mogunt.* & Dn. Im-Hoff *Not. Procer. Imp. lib. 2. Cap. 2.* Hodiernus Dominus Elector est LOTHARIUS FRANCISCUS de SCHÖNBORN, simul Episcopus Bambergensis, 1695. in locum Anshelmi Friderici ab Ingelheim surrogatus, cujus Coadjutor ab anno 1694. extiterat.

§. VIII. Secundum ab ipso locum tenet *Elector Trevirensis*. Est hic Cancellarius per *Galliam & Regnum Arelatense*. vid. Mallinkrot. *de Archi-Cancell. Part. 1. membr. 3.* qui ori-

ginem

ginem hujus tituli a Friderico I. arcesfit. Quid autem proprie per Galliam intelligatur, multos anxie inquirere videas apud Limnæum *ad Capit. Caroli V. p. 120.* Optime hoc enucleat Conringius *de fin. Imp. p. 57.* Galliam Belgicam innui afferens. Ast vero, nihil emolumenti redundat ex hoc Archi-Cancellarii titulo in Trevirensem, uti quidem in Moguntino ex suo Archi-Cancellarii titulo vidimus. Hic insuper omnia negotia Gallo-belgica expedit, quod etiam observavimus jam de negotiis Italicis. Conf. Dn. Crüger *de Novemvirat. Part. Spec. membr. 2. Disc. 4. n. 5. seqv.* Privilegia hujus Electoris recenset Brovverus in doctissimo libro *Annalium Trevirensium*, qui Kyriandri opus, sub eodem titulo, longe antecellunt. Catalogum Archi-Episcoporum, tum & antiquitatem illius Præsulatus fusius exponunt præter Brovverum, Dn. Thulemarius *De Octovir. Cap. XI.* Dn. Spener. *Oper. Herald. lib. 1. c. 91.* Hodiernus Dn. Elector est JOHANNES HUGO Episcopus Spirensis, qui Carolo Caspari von der Leyen / Avunculo suo succesfit.

§. IX. Ultimus inter Ecclesiasticos *Elector Coloniensis est*, Archi-Cancellarii per Italiam titulo gaudens, primo obtutu splendido, revera inani. vid. Mallinkrot *l. c.* ubi de origine pene idem quod de Trevirensi sentit. Inter ejus prærogativas est *jus coronandi* Imperatorem, quod quatenus hodie exerceat, supra expositum est *Diss. IV.* §. 9. Reliqua ejus privilegia refert Limnæus *J. P. lib. 3. c. 6.* qui & idem Catalogum Episcoporum omnium exhibet in *Addit. ad dict. cap.* add. Im-Hoff *Notit. Procer. Imp. lib. 2. c. 4.* Hodiernus Dominus Elector vocatur JOSEPHUS CLEMENS Princeps ex Domo Bavarica, ex qua quippe Capitulo Coloniensi solenne fuit jam a multo tempore Archiepiscopos petere. Idem postea Episcopus & Princeps Leodiensis electus est. Quantæ vero difficultates hodierno Electori creatæ ab initio & qui prætextus funesto & injusto bello inde arcesfiti sint, notum est. Quidam enim Canonicorum postulabant Cardinalem Furstenbergium *Wilhelmum Egonem*; alii eligebant

Princi-

Principem Bavariæ. Illum Galliæ Rex, hunc Imperator, Imperium & Curia Romana fovebant, qui & tandem super æmulo suo, quamvis non sine multo sanguine, triumphavit. Argumenta quæ utraque pars pro suæ causæ justitia allegavit, tum & alia documenta huc pertinentia exhibet Dn. Itteffinger. *Vitriar. Illustr. L. 1, tit. 14. §. 5.*

§. X. Post hos Ecclesiasticos Electores sequitur *Rex Bohemiæ*, inter seculares primus. Concurrit hic semper ad electionem, & non tantum in casu discordium votorum, uti quidam erronee existimant, ac S. Rom. Imperii *Archi-Pincerna* est. vid. A. *Bullæ cap. IV.* §. 4. Regem hodiernum repræsentat ipse Invictissimus Imperator LEOPOLDUS, cum Regnum Bohemiæ ad Archi-Ducalem Domum Austriacam pertineat. In Electione, Moguntino rogante suffragia, tertio loco votum edit, A. *B. c. IV.* §. 3. locus in sessione ei competit a latere dextro Regis Rom. post Moguntinum aut Coloniensem. A.B. *cap. 4.* §. 1. *& ibi* Limnæus *obs. 2. & 3.* quando ministrat non tenetur Coronam regiam gestare. *A. B c. 4.* §. 4. *& c. 27.* §. 5. Extra actum vero Electionis ad reliqua negotia Electorali dignitati annexa non concurrit. Diætis Electoralibus den Churfürsten-Tägen non interest, ad confectionem Capitulationis ipsius votum non requiritur, ad Comitia non vocatur, nec ad onera Imperii contribuit. Dn. de Rhetz. *J. P. lib. 1. tit.* §. 7. vid. Carpz. *de Leg. Regia Cap. V. Sect. 5. & 8. seqv.* Notabile tamen est quod tradit Autor des Discurses von heutigen Reichs-Tage ap. Dn. Schilt. *Inst. Jur. Publ. Tom. 2. in addit.* nimirum occasione noni Electoratus Imperatorem jura illa, a quibus exclusum diximus, iterum a Collegio Electorali impetrare voluisse. Reliqua de Bohemia ex doctissimo Goldasti libro *de Regno Bohemiæ* hauriri possunt.

§. XI. Excipit hunc *Elector Bavariæ*. Quamvis vero Comes Palatinnus Rheni hunc locum olim occupaverit in suo Collegio, fatis tamen temporum coactus est Bavaro illum cedere. Hinc quæ in A. *Bullæ* intuitu Electora-

tus Comiti Palatino tribuuntur, illa in *Instrumento Pacis Westphalicæ art. 4. §. 3.* cum Electoratu Duci Bavariæ conceduntur, ita tamen, ut *linea Wilhelmina* extincta, hic Electoratus ad *lineam Rudolphinam*, ex qua Comites Palatini ad Rhenum, redire debeat. Neque tamen propterea omnes lites inter utramque lineam sublatæ. Notæ sunt controversiæ de *Vicariatus dignitate* & aliæ acriter inter Bevarum & Palatinum agitatæ. Obscuritas & perplexa decisio inde resultat, quod ambiguum sit, an hoc vel illud jus connexum sit *Palatinatui*, an vero *Electoratui*, posterioris generis jura plene in Bavarum sunt collata *alleg. artic. Instr. P.* Rationes utriusque partis ex scriptis publicis hinc & inde emissis nervose satis contraxit Dn. Pfeffing. *in Vitriar. illustr. L. 1. tit. XI. §. 5.* Reliqua vero ejus jura sunt, præter Vicariatum quem sibi contradicente Palatino adscribit & actus possessorios pro se habet, (1) Dignitas ArchiDapiferatus, cujus intuitu etiam prætendit esse Judex Cæsaris. vid. Dn. de Rhez *Inst. J. P. lib. 1. tit. 11. §. 8.* Verum exercitium hujus juris hodie rarissimum, & præter denominationis nudæ dignitatem, nil amplius videtur in recessu habere, conf. illustr. Dn. Stryck. *Diss. de Foro Principum & privat. communi Cap. I. n. 11.* (2) in solennibus actibus præfert pomum imperiale. Plura recenset Dn. Thulemar. *de Octovir. Cap. 18. § 18.* (3) peculiare votum Bavarus etiam in Comitiis habet ratione Landgraviatus Leuchtenbergici, vid. Dn. Obrecht *ad Monzamb. Exerc. 2. c. 2. §. 5.* Hodiernus Dominus Elector est MAXIMILIANUS EMANUEL, Princeps rebus gestis contra Turcas & Gallos clarus, cui propterea Belgii Hispanici regimen concreditum est.

§. XII. Tertium locum inter Electores Seculares occupat *Elector Saxoniæ*, qui est ArchiMareschallus Imperii *A. B. c. 5. §. 2.* Vi hujus dignitatis dicunt ipsi competere, ut in Campo & expeditionibus Imperii semper penes ipsum sit summum Imperium militare. Et forsan exinde etiam profluxit, quod sit Patronus Buccinatorum der Trompeter/ ceu patet ex confirmatione hujus juris a Ferdinando II. 1623. Ratis-

tisbonnæ suscepta. Ceterum quod attinet ad imperium militare, hodie tempora sunt mutata, nec in novissimo bello Gallico cum ipse Elector Johannes Georgius III. glor. memor. exercitui suo præesset, auditum est, quod vi hujus juris imperium in reliquas copias affectaverit. Porro Elector Saxoniæ in processionibus Imperialibus, gladium imperialem evaginatum Imperatori præfert. *A. B. c. 22. 26.* Hinc & in Insigniis suis habet *gladios duos* decussatim compositos. Vacante Imperio Vicarius ille est citra contradictionem in illis terris ubi olim Saxonicum jus viguit, Vid. Dn. Pfeffing. *Vitriar. illustrat. l. 1. t. u. §. 4. seqv.* Habet privilegium *de non appellando*, non solum quo ad Electoratum, quod reliquis commune cum ipso est, sed etiam omnes ditiones Saxonicas. Durantibus Comitiis ipse, aut ejus Vice-Mareschallus Dn. Comes de Pappenheim jurisdictionem in familias Statuum exercet. conf. Diss. illustr. Dn. Strykii *de Jure Princip. & Privat. commun. Cap. 2. in fin.* Leges sumtuarias in electionibus condit, quod exemplo Joannis Georgii II. Dn. Thulem. *de Octovir. Cap. XXVI. §. 14.* & Vice-Marschalli, nomine ejus, de pretiis rerum in electioue Josephi Augustæ Vindelicorum Ordinationem facientis, Dn Pfeffinger. *lib. 3. tit. 12. §. 42.* comprobant. Vindicat sibi porro Directorium in Comitiis Sede Moguntina vacante, aut legato ipsius non comparente. *Id. l. c. t. 10 pr. 13.* Protector est Juris Saxonici, & Director Corporis Evangelicorum, quo jure an adhuc frui debeat, postquam hodiernus Elector Rex Poloniæ factus in castra Pontificiorum transiit; merito disceptari posset, ni limites privati judicii transcenderet. Præterea obtinuerunt Electores Saxoniæ a Ferdinando III. 1638. expectantiam in Comitatum Hanoviensem. Spreng. *Lucern. Imp. p. 331.* Jäger Diss. *de Expectantiis Cap. 3. § 115.* Varia etiam jura exercet in *Abbatiam Quedlinburgensem* vid. Im-Noff. *Not. Proc. lib. 3. c. 29. §. 8.* quæ tamen Sereniss. Electori Brandenburgico 1698. cessa sunt, vel potius restituta, quia olim ad Episcopatum Halberstadiensem pertinuerunt. Hodiernus Dominus Elector Saxoniæ est *FRIDERICUS AUGUS-*

TUS, Princeps rerum gestarum magnitudine & fortitudine bellica insignis, quod & Rempubl. Polonicam haud dubie permovit, ut Corrivali Gallo *Principi de Conty* ipsum præferrent. Plura de Saxonia vide im Europäischen Herold/ cujus Autor Dn. de Zech Consiliarii munere Dresdæ fungens.

§. XIII. Post Saxonem ordo tangit *Electorem Brandenburgicum*, Principem, qui ditionum amplitudine ac potentia omnibus suis Collegis anteferri meretur. Notatu enim dignum est quod tradit Europäischer Herold *p.* 34. ditiones Brandenburgicas septimam partem Germaniæ constituere, quæ & ultra ducenta milliaria in longitudinem excurrunt a finibus Belgii usque in septentrionem, annotante Monzambano *de Stat. Germ. Cap.* 2. *§* 7. *inf.* Habet præterea illud eximii Elector Brandenburgicus præ omnibus Principibus Imperii, quod Borussiam (quæ distinctionis gratia hactenus Ducalis vocata) possideat supremo jure, nemini ibi obnoxius quam Deo, quæ potestas summa & independens genuinus character est alias Regum. Hinc etiam intuitu Borussiæ, & Provinciarum inde dependentium, Regium titulum, Coronam, aliaque insignia assumsit applaudentibus & gratulantibus desuper omnibus fere Regibus, Rebuspublicis & Principibus, quippe quos jam gratulans præiverat Invictissimus Imperator LEOPOLDUS ipsum Regem salutando. In quo felix est Imperator, quod cum ipsius regimen multis laureis & victoriis a Turca reportatis decoratum sit, ut ex merito *semper Augustus* appellari possit; tum in primis & hoc complementum felicitatis experiatur, ut ipso Imperatore & capite Imperii, Imperium novo Rege ornetur, qui quidem, *quo ad Regnum Borussiæ*, liber est & manet, nec ei innectitur, quo ad Electoratum tamen, & ceteras provincias, membrum Imperii est, & felicissimo suo regimine spem facit, decus & gloriam S. Rom. Imperii non solum validissime tuendi contra machinationes vicinorum, sed etiam illam augendi, & in majus provehendi, cujus consilia porro felicia faustaque esse sinat Summum Numen!

§. XIV. Igi-

§ XIV. Igitur qua Elector consideratus, est Imperii Archi-Camerarius *A. Bulla cap. 27.* & in electione habet *sextum votum*, A.B. *c.* 4. §. 3. Insigne ipsius est sceptrum, quod & gerit in Processionibus imperialibus *A. B. c.* 24. 26. conspicitur hoc etiam in Insignibus Electoralibus, conf Limnæus *Tom. II. ad Jus Publ. L. 5 c. 7. § 127.* In solenni curia porrigit Imperatori pelvim & mantile ipse, aut potius ejus *Vice-Camerarius & sub-Officialis* (quia in persona dudum non comparuerunt, quod & inposterum ita observatum iri credo) qui est *Princeps de* Hohenzollern.

§. XV. Descendunt autem Marchiones Brandenburgici ex pervetustis Sueviæ Comitibus HohenZolleranis, de quorum origine consuli possunt *Einzelius* & Christ. Angelus *Chron. Marchic.* Leutingerus & Heinrich *de rebus Marchicis*, Reineri Reineccii *Origines Brandenburgica*, Rentschius im Brandenburgischen Cedern-Hayn aliique. Ab initio hujus Domo modica potentia fuit, ast sub *Friderico Wilhelmo Magno*, gloriosissimæ memoriæ, multis provinciis aucta est & incrementa cæpit lætissima. Accessit enim sub hoc *Ducatus Pomeraniæ Ulterioris*, cujus fines a Marchia ad Vistulam usque se extendunt, & pro citeriori Pomerania Svecis cessa in Instrumento Pacis adepta est *Ducatum Magdeburgicum, Principatum Halberstadiensem, Mindensem, Camminensem.* Ducatum *Cliviæ* & Comitatus *Marcæ & Ravensbergæ* connubii jure sibi quæsitum, vindicavit, una cum *titulo & prætensione Ducatus Juliæ & Montium.* Complementum victricium armorum ultimo loco fuit supremum Dominum Borussiæ. Quæ provinciæ quanta prudentia, fortitudine & felicitate acquisitæ sint, elegantissime prosecutus est illustr. Lib. Baro a Puffendorf *in Com. de Rebus gestis Friderici Wilhelmi Magni*, dignus tanto Heroe incomparabili Historicus.

§. XVI. Facile inde porro patet, quanta sit autoritas hujus Principis in Imperio, quippe qui tot votis gaudet in Collegio Principum, quantis nemo alius. Primum votum edit qua Elector in suo Collegio. In Collegio Principum autem

qua Dux Magdeburgicus, qua Dux Ulterioris Pomeraniæ, qua Princeps Mindensis, Halberstadiensis, Camminensis V. vota habet. Qua Dux Crosnæ autem nullo voto gaudet, quia hic Ducatus ad Bohemiæ feuda, uti tota Silesia, pertinet.

§. XVII. Gaudet præterea Serenissima Domus Brandenburgica multis specialibus Privilegiis & juribus præ reliquis. Inter quæ præcipua puto (1) quod vigore Concessionis Friderici III. Imp. de an. 1456. habeat potestatem vectigalia imponendi & augendi in fluminibus & viis. Schepliz *ad consuet. Marchiæ p. 4.* Dn. Thulemar. *de Octovir. c. 17. §. 76.* illustr. Dn. de Rhetz *Inst. Jur. Publ. lib. 1. tit. 15. §. 4.* (2) Exercet Jus Primariarum Precum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis suarum terrarum. Dn. Thulem. *l. c. §. 21.* (3) de Feudis suis tanquam Allodio potest disponere, ex privilegio Friderici III. de an. 1476. Dn. Thulemar. *l. c. §. 25.* (4) Expectantiam habent concessam a Friderico III. in Ducatum *Megapolitanum*, Dn. Schovvart *Observ. Histor-Genеal. p. 317.* (5) Expectantiam iis largitus est Carolus V. in Ducatum *Holsatiæ.* Schovvart l. c. Thulemar. *l. c.* *Europäischer Herold p. 145.* (6) in *Frisiam Orientalem*, quam concessit 1683. Imperator, qui idem moderno Serenissimo Electori indulsit jus succedendi Comitibus *Limpurgensibus*, stirpe masculina eorum extinctâ.

§. XVIII. Nomen hodierni Serenissimi ac Potentissimi Electoris exprimere superfluum est, cum Sapientissimum FRIDERICUM exteri admirentur, Imperium ut columen salutis suspiciat, subditi vero ut indulgentissimum Patrem Patriæ certatim humillime venerentur. Ipse Princeps Stator & fautor Musarum est, cujus rei si nulla alia testimonia adessent (adsunt autem infinita) vel sola nostra FRIDERICIANA æternum testimonium perhibebit. Miseri & Patria sua extorres ob puriorem religionem, in ipsius terris tutamen & asylum inveniunt, quilibet vero civium qui sub potentissimo sceptro Brandenburgico degit, degit vitam & beatam & tranquillam, collapsasque opes per præterita infelicia tempora Germaniæ, & Bel-

&Bellum tricennarium, restaurat, & nova vitæ subsidia sibi comparare potest. Imo, quod omnium maximum est, *conscientiæ libertate* hic quilibet fruitur, ob quam tamen multa millia fidissimorum Civium, in & extra Germaniam, tam indignis modis misere vexantur. Conf. Exc. Dn. Thomasii *Diss. de felicitate subditorum Brandenburgicorum ob emendatum Statum Politicum & Religionis.* Aucta vero sic subjectorum utilitate, simul aucti, qui inde pendent, reditus Electorales, introducta *Accisa*, modo tributorum, qui inopibus instar levaminis, & divitibus sponte multa consumentibus, tantum gravis. Pertinent huc porro Commerciorum cursus florentior redditus tot *Cataractis*, quibus flumina navigabilia reddita sunt. conf. Excellentiss. Dn. Joh. Sam. Strykii *Diss. de Jure Cataractarum cap. I.* item *conjunctione Sprea & Odera 1662.* Inde facilitatio *operum manuariorum* peregrinorum & antea magnis sumtibus ab exteris sumptorum, Einführung frembder Manufacturen per receptos profugos Gallos, Palatinos, Argentinenses &c.

§. XIX. Ærarium porro Electorale, in quo hodie momentum felicitatis Civitatum situm, præter adducta, auctum tributo *Chartæ sigillatæ* (gestempelt Pappier) nemini gravi nisi qui pruritu litigandi ardet: *Præfecturarum locatione* (Verpachtung der Aempter): vindicatione *bonorum Domanialium* in Ducatu Cliviæ & aliarum Provinciarum, aliisque modis innocentibus. In Aula Berolinensi tot Collegia pro salute provinciarum erecta sunt, quot nullibi fere in Germania deprehendas. *Consilium Sanctius Status*, ubi res pro Principis & Provinciarum Interesse cum exteris vicinisque tractantur. *Consilium intimum Justitiæ*, quod circa causas Civiles versatur. *Consilium sanctius bellicum*, in quo momenta rerum Europæ ab hoc dependentium ponderantur, & fundus ac nervus belli inquiritur. *Consilium secretius Camerale*, ubi reditus ex omnibus Provinciis observantur & augmento eorum studetur. Post hæc sequuntur supremæ Themidos sedes & *Regiminum* ac *Dicasteriorum* institutiones. Talia sunt, extra Regnum Borussiæ, in Marchia supremum *Judicium Cameræ* (das Cammer-Gericht) pro Electoratu,

ratu, quia in Electoratu appellatio ad Judicia Imperii, five Camerale & Aulicum Viennense, locum non habent, *Regimen Custrinense*, pro media Marchia, in Ducatu Magdeburgico *Halæ*, in Pomerania *Stargardiæ*, in Ducatu Cliviensi *Cliviæ*: item *Halberstadii*, *Mindæ*, *Crosnæ* pro reliquis Principatibus.

§. XX. *Elector Palatinus ad Rhenum* est Archithesaurarius Imperii & ultimum locum hactenus inter Electores occupavit, olim primus inter Seculares. vid. *supra* §. 11. Variis prærogativis gaudet, inter quas vel præcipua esset Vicariatus dignitas, ni illa a Bavaro ipsi controversa reddita fuisset, & ille in possessione esset, dum mox a Ferdinandi III. morte Diplomata Vicariatus affixit, gratulationes aliorum Principum desuper accepit, & in Camera Spirensi pecunia deposita mox Bavari Insignibus munita est. Ergo ad alia jura, quæ certiora videntur, & ei asserenda sunt, accedamus. Talia sunt, quod in *A. B. cap.* 5. §. 3. Iudex Imperatoris constituatur, verum hujus judicii usus hodie rarissimus est, temporibus mutatis. *Wildfangiatus privilegium*, sive jus homines qui persequentem Dominum non habent, sibi vindicandi, non est ex minimis, graves tamen lites desuper motæ Carolo Ludovico Electori, quæ in truculentum bellum etiam erupissent, nisi interventu Gallorum & Svecorum Heilbronnæ laudo res composita fuisset. vid. Illustr. Dn. de Rertz *Inst. J. P. lib.* 2 *tit* 2. §. 9. Habet porro jus conducendi per aliquot territoria, item protector fabrorum æneorum est in partibus Rheni. Plura privilegia recenset Limnæus *Jur. P. L.* 3. *c.* 9. *in Addit.* Hodiernus Dominus Elector JOHANNES WILHELMUS affinitatibus & necessitudine sangvinis potentissimis Europæ Principibus innexus est.

§ XXI. Numero octenario non ita pridem novus & nonus Elector additus est, dum 1692. 19. Novembr. ERNESTO AUGUSTO, solenni Investitura per lib. *Bar.* de Groot accepta, dignitas Electoralis collata est, & quia electores Archi-officio instructi esse debent, *Archi-Vexilliferatus officium*

(daß

(das Reichs-Pannier-Ampt) ipsi simul collatum dicebatur. Verum contra hæc Insignia Vexilli acerrime sese movit Domus Wurtenbergica. vid. *Ant. Deduct. Wurtenberg.* (qui creditur Dn. Kulpisius) *d.* 1693. & Responsiones ac scripta a parte Hannoveranorum, (quæ Dn. G. G. L. confecisse dicitur.) Cæterum toti negotio huic Electorali acriter semet opposuerunt Principes Imperii, rem hanc contra A. Bullam & Instrumentum Pacis esse contendentes. Hinc & nuperrime solenni legatione, opem Regis Galliæ tanquam Sponsoris hujus pacis (Guaranteurs) implorarunt. Sed hæc historice recensuisse sufficiat, de cetero enim nostrum non est, tantos componere motus, & limites privati officii transcendit, sponte & non rogatum velle definire controversias *illustres* Serenissimarum Domuum, de quibus sæpius, uti de actis Deorum, religiosius ac reverentius est credere, quam scire. Si vero cuipiam volupe est nosse partium momenta, quæ pro justitia causæ allegant, is adeat Cassandri Thucelii *Electa Juris Publici* & Hippolyti a Lapide *novissima Jur. Publ.* curiosa. Nuperrime etiam quidam, assumto *Gibellini de Lindenfels nomine*, Epistolica Dissertatione controversias circa novum Electoratum, & quatenus circa illius erectionem pluralitas votorum obtineat, discussit. Legi etiam in hac controversia meretur Erörterung der Frage: Ob in dem H. R. Reich ein neuer *Electorat* durch die mehrere Stimmen fest gestellet und behauptet werden möge? Item alius tr. sub tit. die Unadelhaffte *Conduite* der *Correspondi*renden Reichs-Fürsten wegen des neuen Chur-Wesens rc.

§. XXII. Hactenus specialia jura & privilegia Serenissimorum Electorum in individuo consideravimus, nunc ad *illas prærogativas* transeamus, quibus omnes frui cupiunt. Nonnulla enim horum jurium sunt, quæ prætendunt Electores, ast quia cum deminutione fastigii & celsitudinis Principalis fere conjuncta sunt ista quæ Electores sibi vindicant, hinc Principes acriter solent obniti iis nec temere exercitium talium jurium sine protestatione dimittere. Nos vero illa jura Electorum hic recensebimus, non tamen ideo, quasi indubia illa omnia esse credamus. Sedes hujus argumenti, ceu recte annotat Boecler *Not. Imp. lib. 6. c. 2.* est *Aurea Bulla*, cui legali fundamento ac

cedunt *traditia vetusta, Praxis & observantia Imperii.* Neque hic loquimur de illis juribus, quæ ipsis cum reliquis Statibus communia sunt, sed quæ præ his præcipua habent tanquam eximia jura. Sequemur vero ordinem, quem nobis tradidit laudatus Boeclerus ex *Schedis Boeneburgianis.* Fuit enim hic Boeneburgius summus Minister in Aula Moguntini, cui propterea jura non solum Moguntini, sed & Collegarum perspectissima fuere.

§. XXIII. Sigillatim autem eximia sunt: II. quod totale & impermixtum Collegium sive corpus Imperii constituant. Quando vero cœperint separata illa Collegia in Imperio formari, in obscuro est. Interim probabile fit ex adductis *supra §. 4.* vetustius institutũ esse; quam ut ad tempora Friderici & Maximiliani referri debeat, ceu putat Aut. der Grund-V. des H. Röm. Reichs *P. 2. c. 3.* juxta quem demum 1489. in Comitiis Francofurtensib9 Electores & absentium Legati peculiare Collegium formaverunt, cum antea semper cum Principibus mixtim in Comitiis sessionem habuissent. Hinc & porro tradit Principes separationem, in Ordinar-Reichs-Deputions-Tagen/invitos aspicere, & protestatos fuisse propterea *in Conventu Deputatorum Francofurtensi p. 81.* quod suo loco relinquim9. Electores interim sunt in possessione, hinc & in allegatis Schedis *n. 9.* inter prærogativas à Boeneburgio recensetur. Huic Collegio Electorali II. innexa est *Unio fundamentalis* quam die Churfürstliche Verein/ vocant. Vid. Goldasti Politische Reichs-Händel *p. 8.* Limnæus *tom. V. addit. ad lib. 3. c. 2.*

§. XXIV. Habent III. Electores jus quotannis & quoties volunt se congregandi. Vocantur *Diæta Electorales* Churfürsten-Tage. Eleganti Dissertatione omnia eo pertinentia complexus est *Rachelius*, ex quo potiora excerpere & hic inserere, brevitatis studium, quod sectamur, non permittit.

§. XXV. Circa Comitia indicenda IV. Electores Cæsari suadent, aut disvadent. Addit Hippol. a Lapide: si Cæsar Comitia habere nolit, aut differat, Electores posse propria autoritate Comitia indicere, quod Autori suo relinquitur defendendum, ad minimum, pro ut Status rerum præsentium est, vix casum dabilem futurum existimo.

§. XXVI.

§. XXVI. V. Negotiorum Imperii maximorum & salutem totius corporis concernentium *præconsultationem* cum Cæsare habent, nonnullarum etiam cum eodem definitionem.

§. XXVII. VI. Quod Octo suffragia hujus Collegii *tantidem sint*, quanti valeant Reliquorum Ordinum in rebus Comitialibus.

§. XXVIII. VII. quod per A. Bullam *Regibus pares* judicentur Hinc in actu Electionis Imperatoriæ *singuli Electores singulis, in eodem cum ipso Imperatore cœnaculo, accumbunt mensis separatim stratis*. Sunt hæ mensæ, mensa Imperatoris *tribus* (ex observantia) pedibus depressiores, & Imperatricis, si adest, *uno*. Sedent ibi sub *Uraniscis* sive *Cœlis Portatilibus* unterm Himmel oder Baldachinen vid. *Relatio Coronat. Josephi.* Quivis Electorũ habet *Abacum vasarium* regium supellectile aurea & argentea stratum. Legati eorum *Excellentiæ titulum, operiendi caput, primam visitationem* & reliqua more Regum, accipiunt. Lites tamen, quas desuper habent cum reliquis Statibus, recensentur in *Diss. de Jure Ceremoniali circa Legatos*.

§. XXIX. VIII. Habent singuli jus præsentandi *duos Assessores* in Camera Imperii, cum alias integri Circuli totidem tantum constituant.

§. XXX. IX. Jus *Condendi Capitulationem*. De qua tamen ingens ipsis controversia movetur, quam *supra Diss. II.* §. 8. fusius exposuimus.

§ XXXI. X. Quod Electores in Processibus Imperialibus nec Regibus cedant, bene vero extra illas, non autem eorum legatis, item nec Rebuspublicis liberis, quales *Hollandi, Veneti, Helvetii*, multo minus *Cardinalibus, Archi-Ducibus, Magnis Ducibus* aliisque, qui non sunt Reges.

§. XXX. XI. Quod Cæsarem uti eligere, ita & *deponere* possint. Attamen hujus juris exercitium ob mores politos seculi, rarum futurum esse existimo, & ut nunquam contingat, opto. Credo etiam reliquos Status hoc casu solitarium exercitium iis esse denegaturos. Ad minimum cautius foret, rem tam arduam omnium consensu perficere.

§. XXXIII. XII. Quod Cæsar multa non possit facere sine *Consensu Electorum*, quo pertinent *fœdera nomine Imperii, Collecta*

Imperio injuncta, jus Statuinova vectigalia concedendi, ad quod consensus Electorum non per majora, uti alias, sed viritim requiritur, item *jus cudendi monetam* alicui concedere.

§. XXXIV. XIII. Quod pro *investituris* & *confirmationibus suorum jurium*, nil solvant Cancellariæ Viennensi Imperiali.

§. XXXV. XIV. Quod Electoratus provisione legis indivisibiles sint, qua in re ubi primogenitura aliisque mediis opus haberit, sæpius non sine contradictione eorum, quorum interest, instituendis.

§. XXXVI. XV. Gerunt nonnulli ipsorum Officia, realem Reipubl. gubernationem spectantia, *Archi-Cancellariatu* & *Vicariatus*.

§. XXXVI. XVI. Adversus ipsos *Crimen læsæ Majestatis committitur* & eo casu bona lædentis, etiam extra territorium læsi, subjacent fisco Domini territorii, in quo sita sunt.

§. XXXVIII. XVII. Habent jus *de non Appellando*, vi cujus nullus subditus terræ Electoralis potest ad Cameram aut aliud Judicium Germaniæ provocare. Aliud vero in subditis Ducatuum, quibus tantum certa summa, infra quam appellatio non admittitur, obstat. Sic Sereniss. Rex Borussiæ ac Elector Brandenburgicus, quo ad Provincias extra Electoratum, privilegium obtinuit, ut, nisi summa de quo litigetur 1500. Imperiales transcendat, appellatio ad Cameram frustranea sit, conf. ill. Dn. Strykii *Diss. de illicit. Appell. cap. 1.*

§. XXXIX. XVIII. Quod difficulter *deponatur*, ad lot & *instituatur* Elector. Prioris exempli triste fuit in Depositione Friderici Palatini, quod fine convulsione & tantum non exitio totius fere Germaniæ, vix contigit. Insuperabiles vero difficultates circa *creationem novi Electoratus* usus teris præsentium toto die loquitur, ut adeo quilibet periculum Imperii secum perpendens, merito imploret divinum Numen, ut omnia consilia, quæ in utramque partem suscipiuntur, dirigat, quo in tranquillitatem & harmoniam Germaniæ tandem vergant, quippe qua vasto huic Corpori, & heu! nimium antea luxato, nil salutarius optari potest, cum unica *Ratio Status* ipsius in hoc momento sita sit. Conservatur autem harmonia Imperii, si cuivis Collegio sua jura intacta relinquantur, & æqualitas, quæ concordiæ mater est, quantum fieri potest, observetur.

DISSER-



DISSERTATIO VII.

De

STATIBUS IMPERII ECCLESIASTICIS.

SUMMARIA.

Praemittitur & inquiritur in Vocabuli Status *significationem Juris publici* §. 1.

Statuum nomine jureq; quis veniat in Imperio? de Origine eorum sententia Furstenerii & aliorum huic contraria. §. 2.

Epicrisis de his opinionibus, Origo eorum a deficiente stirpe Carolina in Germania. § 3.

Statuum superioritas territorialis *quid importet?* §. 4.

Divisio Statuum in Ecclesiasticos & Seculares. Religionis christianae initia in Germania incerta. §. 5.

Sera initia religionis Christianae in Germania magna. §. 6.

Carolus M. an fundator plerorumque Episcopatuum in Saxonia? §. 7.

Quo tempore regalia jura Episcopi nacti sint. §. 8.

Collatio Episcoporum primitivae Ecclesiae cum Episcopis sequioribus. Epicrisis contra Carpzovium incaute approbantem potestatem secularem Clericorum. §. 9.

Jus Episcopos constituendi olim penes Imperatores fuit. Hildebrandinus tumultus. Henricus IV. infelix Imp. defensus. §. 10.

Henricus V. hoc jure circa constitutionem Episcoporum spoliatus a Paschali II §. 11.

Ex eo tempore sensim Electio Episcoporum ad Capitulares Ecclesiae Cathedralis pertracta est. §. 12.

§.I. Pro-

§. I.



Ræscripsimus huic Dissertationi rubricam de *Statibus Ecclesiasticis*; & sequenti: de *Statibus Secularibus*. Vocabulum *Status* vero in nostro jure Publico generale est, & omnibus competit, qui votum & sessionem in Comitiis habent, & sic etiam Civitatibus Imperialibus. Ergo via hic munienda erit sequentibus Dissertationibus, & quid hoc nomen in recessu habeat, instar generalis hypotheseos, enucleandum erit.

§. II. Communiter illi *Statuum* nomine in Imperio veniunt, qui jus *sessionis* & *suffragii in Comitiis* habent. Quanquam autem hæc opinio tolerari possit; mensuram tamen *Status* non implet. Clarius ita res efferri potest: Status in Imperio sunt, qui singuli in provinciis suis imperium civile exercent, communi vero Patriæ communibus consiliis & auxiliis succurrunt. Unde patet, superioritatem territorialem primariam partem efficere, unde Status Imperii cognominari possit. Quænam autem prima origo & periodus superioritatis hujus sit, ob seculi ruditatem, in quam incidit, & insufficiens historiæ lumen, definire difficile est. Si Cæsarinum Furstenerium *de Supremat. Cap. XIV. seqq.* audimus, hac superioritate territoriali, a prima origine potentiæ Francicæ gavisi sunt Proceres Germaniæ. Minime enim, secundum illum, putandum est, ditiones Germanicas in provinciam redactas esse a Francis, pulsis eorum Principibus, substitutis Magistratibus. Verum Principes priores in fidem tantum recepti, sunt, relictique in ditionibus suis *conditione imparis fœderis verius quam subjectionis*, adjunctis tamen Comitibus & Missis, quo in officio facilius continerentur. E contrario *superioritatis territorialis* origo haud paucis nova, nec quo ad appellationem, ante Maximilianum I. multum cognita videtur. Qui autem moderatius hic sentiunt, prima incunabula in deficiente stirpe Carolingica quærunt. Sub hac enim illos, qui nunc Principes vocantur, Magistratus proprie dictos

fuisse, quales sub vetere Imperio Romano Duces Comitesque in Provinciis appellabantur. Successu vero temporis factum fuisse, ut Duces hi cœperint concreditas Provincias velut in Patrimonio suo numerare, abblandiente occasione proprias opes stabiliendi, genio ambitionis humanæ, leviore paulatim habita Regum suorum autoritate, districtis ipsorum viribus per bella Italica Pontificumque artes.

§. III Quanquam autem ultimam hanc sententiam, præ aliis, Viri celeberrimi & jurium ac consvetudinum Germaniæ peritissimi Lehmannus *Chron. Spir. lib. 2. cap. 21.* Conringius *Diss. de Duc. & Comit. Germ.* Monzambano *de Stat. Imp. c. III.* Kulpis. *de Jur. Legat. c. VII.* amplexi sint; nullus tamen dubito, quin sententia Furstenerii, quæ & Statibus honorificentior est, defendi possit. Proceres Germaniæ semper in partem Imperii admissos fuisse, *Diss. II.* fusius expositum est. Stirpe Carolingica in Ludovico IV. autem extincta, Germania plane libera evasit, ut saltim vel a Conrado I. indubitate prima periodus Superioritatis territorialis Statuum derivari mereatur. Causa interim quod vetustiores Publicistæ ante, & bonam partem post Reformationem, semper de Monarchia Imperatoris somniaverint, est, quod cæca persvasione de Monarchia IV. ad finem mundi usque duratura, capti essent. Verum discussis hodie feliciter ejusmodi vanis præjudiciis, nescio ex quo detorto sensu Danielis Prophetæ, & *Colossi* more prophetico abipso visi, haustis, clarius lumen fulsit juri Publico. vid. Conring. *de Germ. Imper. Rom. cap. 1. seqv.*

§. IV. Hæc superioritas territorialis revera mensuram summi imperii in qualibet Civitate adimplet, hinc & *Majestatis æmula* a multis, alias Cæsari faventibus, solet vocari. Causa vero cur majestatis appellatione abstineant, citra dubium adscribenda est memoriæ pristinæ reverentiæ, & quod Status maluerint splendido vocabulo quam re carere, vid. *supra Diss. IV. §. 48. seqv.* Cæterum quæ partes potentiales Majestatis sunt, de quibus Pufendorfius *de Jur. Nat. & Gent. l. 7.* & Huberus *de Jure*

Civita:

Civitatis, optime egerunt, illæ & vindicandæ sunt superioritati territoriali. Potest igitur hæc superioritas cum ill. Dn. de Rhetz. *J. P. lib. 2. t. 2. §. 1.* definiri, quod sit plenum Statuum Imperii jus, quod summa potestas in subditos exercere valet, nisi qua pactis cum subditis, vel conventionibus publicis, restrictio doceri possit. Clarior inde conceptus formari potest de Statuum potestate, quam si lubrica illa & ex parte falsa brocardica huc afferantur, qualia sunt: *Tantum quisque Status potest in suo territorio, quantum Imperator in Imperio*, it. *Status esse in consortium Majestatis ab Imperatore assumtos*, &c. quæ omnia sunt ambigua, nec rem exhauriunt, & tantum abest ut fluctus interpretum sedent, ut potius fluctus in simplo & re clara, si citra præjudicatas opiniones perpendantur, moveant.

§. V. Status igitur qui hanc superioritatem territorialem exercent, vel *Ecclesiastici* sunt, *vel Seculares*. Hos sequenti Dissertationi reservamus, de illorum vero Origine & juribus nunc agere institutum jubet. Pertinent ad hos *ArchiEpiscopi*, *Episcopi*, *Abbates*, *Præpositi*, *Prælati*; quibus accensentur *Magister Ordinis Teutonici* & *Johannitici*. Incunabula harum dignitatum in genere a propagatione religionis christianæ arcessenda sunt. Quo autem tempore primitus prædicatio verbi divini in Germania percrebuerit, lubricum est definire. Nam non probabile videtur Conringio *Diss. de Constit. Episc. Germ.* prædicationem Evangelii in Germania ab ipsis Apostolis factam fuisse, aut eorum tempore. Fateamur porro cum ipso, majori verisimilitudine afferri posse, Apostolicos demum viros in nonnulla Germaniæ ora penetrasse. Imo qui credulus esset, vel ex solo Chronico Magno Belgii, multos enumerare posset Apostolicos viros, Maternum, Crescentium & alios, Moguntinæ, Trevirensis aliarumque Ecclesiarum primos Antistites. Ast cui ignota sunt putida Monacharum commenta? Si enim veræ historiæ, ex quibus monumentis haurire potuissent, cum nulla extent. Tenuis enim rerum Civilium Germaniæ hujus temporis notitia ex Romanorum scriptoribus tantum haurienda; Ecclesiasticarum vero rerum longe tenui-

or est, imo nulla. Hinc *Catalogi Episcoporum* quos texunt, pa-ris autoritatis sunt, cujus est illa series antiquissimorum Regum Germaniæ a Tuiscone usque, add. Conring. *l.c.*

§. VI. Seculo tamen II. post N. C. Evangelii lucem fulsisse Germaniæ, testimoniis Irenæi & Tertulliani comprobari potest. Haud dubie vero hæsit hic cultus divinus in *Germania prima* & Provinciis Imperio Romano subjectis. Satis autem sero *Germania Magna* christianam religionem amplexa est, perpetuis migrationibus gentium barbararum, veluti undis, jactata. Pedetentim vero nomen suum dare cœpit religioni Christianæ. Noricum & Vindelicam *Severinus* vera fide imbuit; Boji *Rupertum* habent, Francorum ante Apostolum, Helvetii *Gallum*, Svevi *Columbanum*, Franci Orientales *Kilianum*. Nondum tamen profligatus fuit ubique paganismus. *Seculo* autem *Octavo* multam operam contulit in tollendis idolis Bonifacius Anglus sedis Moguntinæ Episcopus, Curiæ ac sedis Romanæ Apostolus tamen verius, quam Salvatoris. Subjugavit tandem non multum post Carolus M. Saxones, & armata manu ad religionem christianam amplectendam adegit, quicquid populorū Rheno Visurgiq; includitur. Quæ tamen methodus magis sapit regulas anti-christicas quam Apostolicas veras. Neque cum gladio & armis instruit Apostolos suos Salvator, sed doctrina & donis Spiritualibus. Vi & metu ac remediis coactivis quibuscunque hypocritas quidem facimus, sive confitentes ore, serio vero & corde credentes nullo modo effici possunt nisi gratia Dei.

§ VII. Quo vero Carolus M. feroces gentes eo melius in fide christiana, vel potius externa professione christianismi, ob rationes modo adductas, contineret, condidit, aut si mavis fundamenta jecit multorum Episcopatuum in inferiori Saxonia. Communiter autem adscribunt Carolo M. fundationem Episcopatus *Osnabrugensis, Halberstadiensis, Mindensis, Bremensis, Verdensis*. vid. Gvern. Rolfinck *de Laud. Westphal. lib. 2. c. 8.* & Lupold de Babenberg. *de zelo Cathol. fid. Princ. Germ*, Casp. Brusch.

Brusch. *de Monaster. & fundat. German.* passim. Ast multis non videtur veritati historicæ consentaneum, Carolum M. Episcopatus integros cum bonis immobilibus, multo minus territorio condidisse: Eginhartum *in Vit. Carol. M.* nullam hujus rei mentionem facere, bene tamen, quod templa, Sacella, Monasteria ibi extruxerit, ex hisce autem haud dubie postea sub successoribus surrexisse Episcopatus. Conf. Gryphiand. *in Colos. Weichbild. c. 29.* Boecler. *in Carolo M.* Verum contra hanc sententiam militant multa Diplomata, quæ diserte exhibent, *omne Regale vel seculare judicium Episcopatui* donasse Carolum, nec mera templa aut scholas tantum fundasse, ceu verba sonant Privilegii Carolini Ecclesiæ Osnabrugensi dati ap. Reverendis. Dn. Furstenberg. *in Monument. Paderbornens. p. 327.*

§. VIII. Episcopi igitur jam ab initio Imperii Germanici ad summam Reipublicæ vocati & in Comitiis comparuerunt, quod & jam antea sub Francis observatum fuit, vid. Lehman. *Chron. Spir. c. 39.* hinc illi a vero distant, qui Ludovicum Pium primitus Principum titulum & jus comparendi in Comitiis tribuisse asserunt, in quam opinionem etiam inclinat Dn. Vitriarius *J. P. lib. I. tit. 15. §. 4.* Mylerus ab Ehrenbach. *de Princ. & Stat. Imp. 12.* Hoc tamen lubentes fatemur, moderatius usque ad Ottonem I. bona immobilia & jura regalia Episcopis donata fuisse. Nam primus fuit Otto I. qui teste Theodorico de Niem fol. 811. omnibus pene Cathedralibus Ecclesiis Castra, oppida, villas concessit. Conf. Limnæum *J. P. lib. 3. §. 1.* scilicet incrementa sumsit potestas Episcoporum tempore Ottonis I. verum illos ante ea tempora nulla regalia jura habuisse, negamus cum Kulpisio *ad Monzamban. Cap. 3. §. 6. 7.* ubi multis antiquissimis comprobat testimoniis, jam sub Francis Episcopos una cum reliquis Principibus summæ rerum præfuisse.

§. IX. Quam bene autem Episcopi negotiis secularibus semet immiscuerint, & in quantum propterea a primitiva puritate defecerint, notum est. Ex genuinis principiis historiæ Ecclesiasti-

cæ

cæ satis apparet, illis temporibus cum Ecclesia nondum *Mater* salutabatur, sed *Virgo* esset, h. e. pura & intaminata, illos qui Episcopi vocabantur, electos esse a cætu fidelium ex numero Præsbyterorum sanctitate morum commendabilium. Officium eorum non consistebat in dominatu impotenti super Clero (uti eo tempore tota Ecclesia vocabatur;) Sed ut dulci moderatione gregem pascerent, hinc non magna, ratione potestatis, inter Episcopum & reliquos seniores differentia, adhuc Hieronymi ævo, judicabatur. Nulla tunc cura mundanarum opum, nec Ecclesiis aurum, argentum & alia bona immobilia quæsita erant. Nondum eo tempore *Ecclesiæ* & *templa* lignea, vel lapidea auro & argento luxuriose strata, erant synonyma, uti quidem in Codice nostro talis abusus vocabuli Ecclesiæ passim deprehenditur. Serio vero dolendum est, non mansisse talē Statum incorruptum Episcoporum in Ecclesia. Nam quæ Carpzovius de *Leg. Reg. Germ. cap. 2. Sect. 9. n. 25. seqv.* adducit pro adstruendo Dominio temporali & aliis juribus Episcoporum, sunt contra indolem religionis christianæ & hinc indigna JCto Evangelicæ religionis. Imo lacunas Pontificiorum sapit, *Arnoldum Brixianum* Episcopis Regalia competere negantem, in præsentia 1000. Antistitum *hæreseos* convictum propterea esse, & merito crematum. Fuit hic Arnoldus *testis veritatis*, & idem fatum habuit, quod sui similes, ut communiter pro fatuis & hæreticis habeantur. Ceterum cum circa *seculum quartum*, etiam Principes Christo nomina darent, (an etiam *cor*? judicet peritus Historiæ Ecclesiasticæ) tunc opes mundanæ in Ecclesiam irruerunt plene, & Episcopatus insignes & opulentæ dignitates facti sunt. Ex eo tempore, Imperium Civile non passum est quenquam adspirare ad Episcopatum, nisi a se constitutum. Tandem vero surgente potentia Pontificis Romani, curam hanc, uti omnem circa Ecclesiæ regimen, sibi vindicare Papa voluit, & cæcitate orbis sat diu retinuit, imo adhuc retinet apud maximam partem Orbis.

§. X. Talis Status Ecclesiæ externæ fuit, cum Germania religionem, & una cum ea Episcopos suos, acciperet. Fuere hi ab initio

initio sub Imperatoribus. Probat hoc Conringius *laud. Diss. de Constit. Episc. §. 21. sequ.* multis exemplis dubio non obnoxiis quod Episcopos constituerint, non tamen cœtus fidelium, cui præficiendus erat, consensu excluso. Erudite idem *§. 32. sequ.* disputat contra Baronium contendentem, hoc ex conniventia Pontificum factum fuisse ab Imperatoribus, Carolo M. & successoribus. Nil habent papicolæ, quæ ad talia testimonia historicorum cœvorum regerere jure valent. Nihilominus *Hildebrandus* sive *Gregorius VII.* Papa, (quo nullum callidiorem & ambitiosum magis Orbis vidit) non quievit, donec hoc jus Imperatoribus extorqueret. Imo ut ad scopum, cui intentus, perveniret, cœlum terræ & omnia sursum deorsum miscuit. Pontifex ob hoc in Imperatores, Episcopi in Episcopos, subditi in legitimum suum Principem, & quod dictu nefas est, filius in parentem insurrexit, quo eo magis Pontificum fraudibus & ambitioni velificaretur. Henricus IV. Imperator ille infelix est, qui incidit in illa tempora, ubi Sedes Romana in jura Imperatoria grassabatur, cui quidem mascule resistebat ab initio, ast infelici & tristi eventu, destitutus prudentibus consiliariis, & fatali barbarie temporũ in cæcam adorationem Sedis Romanæ, miserum servitutis genus, ruente. Post hosce igitur Hildebrandianos tumultus scissus est Orbis in partes duas. Plerique in Pontificis partes tracti minus decore & reverenter de Cæsaris Majestate tradiderunt, tunc maxime, cum *Gibellinorum* & *Gvelforum* infausta certamina orirentur. Henricum IV. defenderunt, interdum magis ingenue, quam docte, *Benno Cardinalis, Ottbertus* Eburonum sive Leodiensium Episcopus, *Scriptor belli Saxonici Anonymus* apud Freherum, *Waltramus* Episcopus Numburgensis, *Monachus Laurishamensis, Ivo Carnutus, Dantes Aligerius, Theodericus de Niem, Marsilius Patavinus, Ludolph. de Babenperg, Goldastus* adversus Gretserum. Ex hisce scriptoribus, quorum extant plerique in Corporibus Goldasti, Freheri &c. satis abunde patet iniquitas Pontificum erga Imperatores, de qua ipsi illi, utpote Cardinales, Episcopi & Monachi testati fuerunt.

§. XI. Paschalis II. occultior non melior Papa Hildebrando,

brando, occulte concitato filio Henrico V, in Patrem, hunc tandem regno & vita privavit. Ast idem fatum expertus est Henricus V. ob jus eligendi Episcopos sibi tributum more majorum, acerrime exagitatus a Paschali & Callisto II. cui etiam tandem concessit, quæ volebat, victus pertinacia Principum Imperii & fraude Pontificum. Transactio igitur 1122. in Comitiis Vormatiensibus inter Henricum V. & Calistum II. inita, vi cujus Henricus *dimisit omnem investituram per annulum & baculum, & concessit in omnibus Ecclesiis, quæ in regno vel imperio ipsius sunt canonicam fieri electionem & liberam consecrationem.* Hic exitus infelix tot dissidiorum. Nullo in posterum opus fuit consensu Imperatoris, electione penes solum Clerum remanente. Recessit sic ex Aula Imperatoria omnis illa beneficia Ecclesiastica expectans turba. Vere Onuphrius Panvinius: dimidiam potestatem Cæsareã tunc amissam fuisse cum jure investituræ per annulum & baculum, quod ipse & Pater & antecessores tot annis non sine copiosissima profusione sanguinis christiani propugnaverant. add. Conring. *cit. Diss.* §. 55.

§. XII. Ab eo tempore Electio Archi-Episcoporum & Episcoporum penes clerum & totum fidelium cœtum nomine fuit, re vero penes Capitulares Ecclesiæ Cathedralis, qui sensim Electionem sibi unice vindicabant, connivente, & haud dubie & e re sua æstimante Pontifice. Fructus vero qui in Rempublicam & Ecclesiam redierunt, adempto Imperatoribus, quod tot seculis obtinuerant, jure, fuere fastus Canonicorum intumentium hoc jure, simonia, schismatica electio & hujus generis alia, quorum exemplum Germania novissime experta, ingenti suo damno, in motibus Coloniensibus cum hodiernus Elector eligeretur. Verum nec hisce Canonicis, jus quod semel sibi quæsitum putabant, inlæsum mansit. Nam pro insatiabili dominandi pruritu, tot Episcopos post hanc transactionem constituit Papa *collationis* sive *provisionis extraordinariæ* titulo, ut fere jus Capitulorum Cathedralium extingveretur. Hinc in *Concilio Constantiensi*, Germani graviter petierunt, ut hæ provisiones, gratiæ expectativæ, abolerentur. *Avisamenta Constantiensia* vulgo hæc petita vocantur, quæ leguntur apud Gol-

Goldastum *tom. I. Constitut. Imperial.* Verum res juxta vota Germanorum non cecidit, melius vero processit, cum eadem petita Moguntiæ conciperentur, quæ propterea *Avisamenta Moguntina* vocata, & Patribus *Concilii Basiliensis* offerrerentur. Potuisset tunc Germania, exemplo *Pragmaticæ sanctionis Gallicane*, Pontificis dominatum & dictatus autoritatem frangere, ni obstitissent Friderici III. Imperatoris socordia, & Æneæ Sylvii (postea Pontificis sub nomine Pii II.) artes. Hujus enim Sylvii calliditate deceptus Fridericus III. 1447. cum legato Pontificis certa pacta iniit, quæ *Concordata Nationis Germanicæ* communiter appellantur, dein confirmata a Nicolao V. Papa. Exhibet illa pacta plenius Dn. Linckius *pecul. Diss. de Concordatis Germaniæ.* Apud Goldastum etiam *tom. I. Const. Imperial.* reperiuntur & passim apud scriptores hujus argumenti. Quanquam autem illa Concordata sedi Romanæ favorabilia fuerint, & deterior multum esset hoc intuitu conditio Ecclesiarum Germaniæ præ Gallicanis, adeoque Curia Romana acquiescere potuisset hisce Concordatis, tamen pro ea, qua semper usa est, inconstantia, ut mollissime dicam, (cum manifesta perfidia fuerit,) hæc Concordata Papa sæpius transiliit contra fidem datam & pacta confirmata. Testantur hoc *Gravamina* Imperatori Maximiliano I. exhibita 1510. apud Goldastum *tom. II. Const. Imperial.* Nec silent hac de re *Gravamina centum Norimbergæ* exposita, non a Lutheranis, uti Bellarminus ex odio erga illos censet, efficta, sed a toto Imperio, testantibus Actis publicis, edita, conf. Conring. & Linckius *alleg. Diss.*

§. XIII. Patet exinde, quomodo Episcoporum Electio olim sese habuerit, & quomodo nunc sese habeat. Scilicet hodie omnis Electio Episcoporum, vel fit *Electione*, vel *Postulatione*, vel *Pontificis collatione*. Electio dependet a Capitulo Cathedrali, fitque triplici modo, per *Scrutinium*, per *Compromissum*, per *Inspirationem divinam*, quam vocant, de quibus modis vide Canonistas, Canisium, Lancellotum, Duarenum *de Sacr. Eccles. ministr. lib. 5. c. 1.* *Postulatio* vocatur, si eligendus regulariter & canonice eligi nequit. de Conf. *Cc. ad 1. X. de Postul. Prælat.* Collatio Pontificis tunc procedit, si Episcopus Romæ moriatur.

§ XIV. Ceterum a tempore Reformationis Evangelicæ, ratione Episcoporum huic religioni addictorum, multæ lites ortæ. Hi enim electi & postulati, confirmationem Pontificis vi concordatorum Germaniæ petendam neglexerunt. Hinc pro veris Episcopis a reliquis Catholicis Statibus non agniti sunt. Verum in *Instr. Pac. art. V.* §. 2. cautum, quod si intra annum postulationis suæ fidem fecerint, & juramenta consveta super regalibus feudis præstare parati sint, a Cæsare investiri & ad Comitia vocari debeant. Eum in finem iis assignatum est peculiare scamnum inter Ecclesiasticos & seculares Status, transversum, quod vocatur, **die Quer-Banck.** In hoc hodie sedet tantum *Episcopus Lubecensis* & *Osnabrugensis*, quando scil. in casu alternationis, Dux Brunsvicensis Episcopatu gaudet. Non autem spes est hunc numerum auctum iri, quia quam primum aliquis Romanæ religionis Episcopus vel Prælatus, Protestantium partes transit, salva dignitate statim excidere debet omnibus proventibus & juribus Episcopatus aut Prælaturæ. *Inst. Pac.* 5. §. 15. Vocatur hoc *Reservatum Ecclesiasticum*, **der Geistliche Vorbehalt** & maximum arcanum est conservandi Ecclesiam Pontificiam, nullus enim temere transiturus, est ad partes Evangelicas, si videat se privandum esse tam opimis reditibus. Interim non puto hoc Reservato dempto, jugulum, religionis Catholicæ peti, secus ac Monzambano existimat. Nam Principes Catholici Seculares nullo reservato terrentur, & tamen rara adsunt exempla transeuntium ad alias partes. Reliqui ArchiEpiscopatus & Episcopatus, qui ad Principes protestantes pervenerunt, titulo Ducatuum & Principatuum, secularem qualitatem jam induerunt, & a Possessoribus, ut Principatus seculares feudorum Imperialium lege tenentur.

§. XV. Igitur ex ArchiEpiscopis Romano-Catholicis, in Imperio tantum supersunt, præter tres Electores Ecclesiasticos (1) *Salisburgensis*, qui Sedis Romanæ legatus natus audit. Nacti sunt hunc titulum a Gregorio VII. vid. Dn. Im-Hoff. *Not. Proc. lib. 3. c. 33. §. 9.* (2) *Vesontinus*, cujus Metropolis Vesontium situm in Comitatu Burgundiæ (*Franche Comté*) hodie

sub

sub Galli ditione est Dn. Imhoff. l. c. §. 7. Addunt nonnulli *ArchiEpiscopum Pragensem*, ut & *Rigensem*. Verum ille ad Comitia non vocatur, vid. *Im-Hoff. l. c.* §. 3. Hic autem dudum est extinctus una cum juribus Imperii in Livoniam. Dn. Im-Hoff. §. 1. §. 4. Habent autem ArchiEpiscopi & Metropolitani sub se suos Episcopos & *Suffraganeos*, quos recensere supersedemus, cum passim enumerentur a scriptoribus, circa haud paucos etiam exemptionem perperit mutata religio & alia fata temporum. ArchiEpiscopus tamen Trevirensis per exemptionem in Instrumento Pac. factam Episcopatuum Metensis, Tullensis, Verodunensis, Suffraganeis nihilominus gaudet. Debent insuper ArchiEpiscopi & Episcopus Bambergensis *Pallium* a Pontifice redimere. Quomodo illud conficiatur, docet B. Ziegler *ad Lancell. L. 1. tit.* 11. §. 1. Precium ejus 30000. Imperialium summam fere excedit. De quo Germani graviter sæpius quæsti sunt, vid. Gold. in den Reichs-Satzungen *p.* 215. Exempli loco adduxerunt, quod intra vitam unius hominis e sede Moguntina, pro Pallio redimendo septies viginti quinq; millia thalerorum Romam fuerint mittenda. Nam Pallium in Occidente ad successorem non transit. vid. ill. Dn. de Rhetz. *J. P. L. I. tit.* 16. §. 15.

§. XVI. Reliqui Episcopi Archi Episcopos agnoscunt pro Metropolitanis & illorum Suffraganei audiunt. Sunt tamen nonnulli Episcopi, qui nullum Metropolitanum agnoscunt, quo pertinet *Bambergensis*, quem Henricus II. cognomento Sanctus immunem fecit ab omni jurisdictione ArchiEpiscopali vid. Casp. Brusch. *de Episc. Germ. p.* 1069. Unde etiam fluit, quod Electores ab hoc quædam feuda recognoscant, quæ tamen hodie valde dubia, sunt & incerta qualia sint. Conf. Dn. Thomas. *Diss. de Feud. Oblat.* Idem Privilegium Episcopo Ratisbonensi tribuit Brusch. *c. l. p.* 746. quod scilicet nullum agnoscat ArchiEpiscopum supra se. Reliquos Episcopos recenset Dn. Schweder. *J. P. Part. Spec. Sect. II. c.* 6. Franc. Irenicus ad Burgoldensium (sive potius, Oldenburgerus ad Oldenburgerum) *p.* 1. *Disc.* 29. *ad Instr. P.*

§. VII. Episcopus *Argentoratensis* communiter etiam in-

ter Episcopos refertur, verum hic Episcopatus Gallis cessit, occupata Argentoratensium Urbe 1681. a Ludovico XIV. manifesta Imperii injuria. Hanc non excusavit, sed graviorem reddidit, quod ejus olim Membrum, Franciscus Ego Furstenbergius, palpabili adulatione, publico Panegyrico Ludovicum excipiens in primario Argentoratensium templo, injustam occupationem insuper laudaverit. Vid ejus Panegyricus ap. Dn. Pfeffinger *ad Vitriar. l. 1. t. 15. §. 13. lit. D.* Nunc vero Pace Rysvvicensi Gallo plene hæc urbs, quæ antea merito propugnaculum vocabatur Germaniæ, cessa est. De Episcopis *Tridentino* & *Brixiensi* illud etiam notandum venit, quod hos duos Episcopatus mit dem Gottes-Haus Murbach Domus Archi-Ducalis Austriaca sub protectione habeat, eosque plane eximere cupiat. vid. Limnæus *tom. I. addit. ad lib. 3. c. 2. n. 40.*

§. XVIII. Episcoporum numero accensetur *Magister Ordinis Teutonici*, vulgo ita cognominati, quod soli Germani in istum ordinem cooptentur. vid. *Rec. Imp. d.* 1500 §. 41. Hujus Ordinis Magister, qui sedem suam Mergenthemii ad *Tubarim* in Franconia habet, proximum in scamno Principum Ecclesiasticorum locum occupat ab ArchiEpiscopis, nisi quod Episcopus Bambergensis, utpote nulli Archiepiscopo subjectus, litem de præcedentia ipsi moveat, quæ lis beneficio alternationis sopita est, Conring. *in Not. ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 4.* Origo Ordinis incidit in seculum XI. ubi *Passagia & bella sancta* tui vocabantur, fervebant ad recuperandam Palæstinam. Vocabatur ab initio *Ordo hospitalis S. Mariæ Hierosolymitanæ.* Successu temporis circa seculum XIII. in Germania crevit in tantum, ut circa annum 1229. evocati Equites Teutonici a Conrado Duce Masoviæ, rem strenue feliciterque gererent, ac tandem Borussiam Livoniamque sub jugum suum redigerent. Quæ utraque provincia quando iterum iis erepta sit, exposuimus *Diss. 3. §. ult.* Hodie Ordo Teutonicus dividitur in *XI. Ballivias*, quas recensent Dn. Im-Hoff. *Not. Procer. lib. 3. c. 7. §. 4.* ut & Autor der Geistl. u. Weltl. Ritter-Orden p. 58. Quantum ordini nocuerit subtractio commendarum Balliviæ Alsaticæ & Lotharingicæ patet aus den Beylagen zu dem an die Röm. Käyserl. Maj. von

des

des Hrn Hoch- und Teutschmeisters Hochfürstl. Durchl. sub dato Heidelberg. d. 5. Nov. 1685. abgegangenen Schreiben. Nuperrima *Pace Ryswicensi Art. XI.* Ordini restitutio omnium bonorum, redituum & jurium promissa est. Hodiernus Magnus Magister Teutonicus est Franciscus Ludovicus Dux Neoburgicus Fratri Ludovico Antonio 1694. surrogatus.

§. XIX. Cum Ordine Teutonico, qui & *Marianus* vocatur a Patrona Ordinis B. Maria, nullatenus confundendus est *Ordo Equitum S. Johannis*, quorum Magister inter Prælatos principali dignitate fulgentes locum obtinet. Hic ordo non minus opibus & potentia floruit, quam prior. Origo utrique ex eodem fonte. Primum Hierosolymis subsistit ad an. 1187. inde Saladino Sultano eam urbem occupante migravit *Margatum* & 1192. *Ptolemaidem*, qua itidem a Saladino capta, in *Cyprum* Insulam se recepit, ac tandem 1309. *Rhodiorum* Insulam subjugavit sedemque elegit. Verum & hac 1500. pulsi a Solimanno Turcarum Imperatore, beneficio Caroli V. *Maltam* sive *Melitam* Insulam Maris Mediterranei natura & situ fere inexpugnabilem obtinuerunt & sedem ibi constituerunt 1530. a quo tempore feliciter Turcarum potentiæ restiterunt. Consistit alias *Ordo Joannitig* ex VIII. Conciliis Nationalibus, quas illi linguas vocant, scilicet 3. linguas *Gallicas*, unam *Italicam*, duas *Hispanicas*, unam *Anglicam* & unam *Germanicam*. Magno Magistro *Serenissimi* titulus datur. Reliqua de Ceremoniis hujus ordinis exequuntur Jac. Bosii *Histor. Ordin. Hier. of. lym.* Hier. Megiseri *Deliciæ Ordin. Equestr. Part. 2.* Pantaleonis *Histor. Ord. Joann.* Burchard. a Nieder-Stadt *in Maltha veteri & nova.* Germanici Prioratus Magister, qui vulgariter *Ordinis S. Johannis Baptistæ Hierosolymitani supremus per Germaniam Magister* appellantur, est ille qui in Comitiis Imperii comparet, & proximum a Murbacensi locum obtinet. Ramus est hic Prioratus Ordinis Maltensis. Sedes ei est *Heitershemii* in Brisgoa, & inter membra circuli Rhenani superioris refertur.

§. XX. Ab hoc dependebat antea etiam *Baiulacium Marchium*, seu *Magisterium Domini* Das Herren-Meisterthumb zu Sonnenburg. Complectitur illud complures *Commendas* (*Com-*

(*Compterayen*) per Marchiam, Pomeraniam, Venedos sive Lusatiam, Ducatum Mecklenburgicum, Saxoniamque dispersas. *Magni* Germaniæ *Prioris* Jurisdictionem agnoscebat, quippe qui *Ballivios* a Commendatoribus electos confirmabat, eisque recipiendorum Equitum conferendarumque Commendarum facultatem impertiebat. Hodie autem Serenissimus & Potentiss. Elector Brandenburgicus habet jus conferendi hujus Bajulagii, cujus Ballivius itidem vocatur *Magister Ordinis S. Johannis Hierosolymitani per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam, & Vandaliam.* &c. qui & Albertum Fridericum Marchionem, Fratrem 1695. clementissime *Magistrum* Ordinis Joannitici constituit. vid. Celeb. Dn. Becmanni Historischen Bericht von dem Ritterlichen Johanniter Orden und dessen absonderlicher Beschaffenheit in dem Herren Meisterthumb in der Marck. Sic in *Instrum. Pac. art. 12. §. 3.* Commendæ Mirau und Nemerau conceduntur quidem Ducibus Megapolitanis, sed ut Electori Brandenburgico tanquam Patrono Ordinis idem, quod antiquitus, pro patrocinio præstetur. Conf Limnæus *ad Cap. Leopold. §. 12.* Burgold *ad Instr. Pac. p. 1. Disc. 20. §. 5.*

§. XXI. Post Episcopos sequuntur *Abbates* Principum dignitate fulgentes Gefürstete Aepte/ qui etiam Statuum nomine veniunt, & voto ac sessione in Comitiis utuntur. Equidem ex prima intentione fundantium Monasteriis præesse & cultui Divino vacare unice debuerunt. Verum successu temporis multi Prælati, maxime *Ordinis S. Benedicti*, iisdem fundamentis, per eadem media, quibus Episcopi, & illi adspirarunt ad summam rerum. Sunt vero inter hosce Abbates Principales (1) *Fuldensis Abbas* cujus antiquissimus est præsulatus, qvippe fundatus a Bonifacio Germanorum Apostolo an. 744. sumtibus Carolomanni & Pipini Principum Franciæ. Tanta etiam olim fuit hujus Abbatis autoritas, ut cum ArchiEpiscopo Magdeburgensi super præcedentia contenderit. vid. Brusch. *Chron. Monast. p. 313.* Hic Præsul porro fungitur Officio *Archi-Cancellarii Imperatricis*, vid. Mallinkrot *de Archi-Cancell. Imp. c. ult.* In Recessus Imp. de an. 1654. subscriptione vocat se etiam *Primatem per Germaniam & Galliam.* Qui primatus quoque Abbates

solum

solum restringendus est: vid. Dn. Im-Hoff. *Not. Proc. Imp. lib. 3. c. 23. §. 7.* (2) *Murbacensis Abbas* præest hic Cænobio Ordinis Benedictini, & transeunte licet Landgraviatu Alsatiæ ad Gallos per Instr. Pac. tamen immedietas hujus Abbatiæ expresse ibi servata est (3) est *Abbas Campidunensis* vetustus itidem Præsulatus, quippe quem fundavit Hildegardis Uxor Caroli M, cujus Diploma desuper datum recenset Crusius *lib. 2. annal. p. 1. c. 2.* vid. Lehman. *Chron. Spirens. lib. 3. c. 31.* vocatur hic Abbas *Archi Mareschallus Imperatricis*, quo etiam titulo utitur in literis publicis, vid. Dn. Pfeffing. *Vitr. illustr. lib. 1. tit. 15. p. 344.* (4) *Corbejensis Abbas*, cujus Cœnobium a Ludovico Pio & Juditha conjuge fundatum est an. 812. vid. *Aut. Chron. Corbejens.* ap. Meibom. *tom. I. Rer. Germ. p. 755.* de hodierno Abbate vid. Im-Hoff. *loc. cit. lib. 3 c. 26. §. 60.* (5) *Abbas Prumiensis.* (6) *Abbas Stabulensis*, quod Cœnobium Ordinis Benedictini in ditione Leodiensi situm est. Subest illa Abbatia in præsenti Furstenbergio Cardinali & Episcopo Argentinensi, qui vigore *Instrumenti Pacis Ryswicensis* in omnia, jura & bona, ratione hujus Abbatiæ, restitutus est. vid. *artic. 44.* (7) Huc referunt *Abbatem S. Emerani* Ratisbonnæ, qui quidem personalem dignitatem habet, sed saltem votum *curiatum* habet cum reliquis Prælatis. His addunt nonnulli Abbatem *Albi Castrensem, Richenaviensem, S. Galli in Helvetia, Ludrensem.* vid. Dn. L. Stryck *Diss. de Jur. Abolit. c. 2. n. 50.* modo enumeratis autem addendi sunt *duo Præpositi* Principum dignitate & jure, fulgentes in Imperio, nimirum *Elwangensis* & *Berchtols Gadensis.* De illo videatur Im-Hoff. *l. c. §. 3.* *Huic* Præposituræ Elector Coloniensis præest, electus 1688.

§. XXIII, *Abbatissæ* quædam & hac prærogativa insignes sunt, quod votum & sessionem in Imperio habeant, quo pertinet (1) *Abbatissa Quedlinburgensis*, quam fundavit Otto M. cujus Diploma exhibet Maderus *in Antiquit. Brunsvicens. p. 504.* Lutheranam religionem ibi introduxit an. 1539. Abbatissa *Anna* ex familia Comitum de Stolberg oriunda. Exercent ibi vero *Electores Saxoniæ Jus Advocatiæ.* Jura vero ad hanc Advocatiam pertinentia recenset Dn. de Zech. im Europeischen Herold p. 1528. quæ sunt admodum eximia & ampla, ita ut dominium

U Abba-

Abbatissæ valde restrictum sit. Verum ante paucos annos hoc Jus Advocatiæ Qvedlinburgensis die Landes-Fürstliche Erb-Schutz-Herrligkeit/ pro certa pecuniæ summa, non tam cessum, quam restitutum est Serenissimæ Electorali Domui Brandenburgicæ. Dico restitutum est. Nam jam superioribus seculis, 1511. & 1517. Dux Saxoniæ Georgius condemnatus fuit a Papa, ut Advocatiam cum superioritate, hucusque per spolium detentam, restitueret Episcopo & Capitulo Halberstadiensi. Hujus vero Episcopatus jura per Instrum. Pacis in Electorem Brandenburgicum sunt translata, ut hinc non jure cedentis, Poloniæ Regis, sed suo jam Advocatiæ & superioritatis jura ibi exerceat. Vid. Diss. sub præsid. Ill. Dn. Stryk. *de Jur. Princ. circa Rationes Civitatum Cap. VIII.* §. 29. (2) *Abbatissa Gernrodensis*, de cujus Cœnobii fundatione elegantur agit Dn. Pfeffinger *Vitriar. Illustr. L. 1. tit. 15. p. 346.* (3) *Abbatissa Buchaviensis* am Feder-See/ de qua Dn. Im-Hoff. *c. l. lib. 3. c. 29. §. 4.* (4) *Abbatissa Essensis*, cujus Cœnobium situm in Ducatu Montensi, extructum circa ann. 860. v. Dn. Im-Hoff. *c. l.* (5) *Abbatissa Herfordiensis*, cujus immedietatem in dubium vocat, nec citra prægnantes rationes, Elector Brandenburgicus, tanquam Comes Ravenspergensis, quippe in quo Comitatu situm est Cœnobium. (6) *Abbatissa Andlaviensis*, quæ libera perhibetur ab oneribus Imperii, voto tamen fruitur in Comitiis. (7) *Abbatissa Lindaviensis*, de qua Im-Hoff. *l. c.* §. 13. (8) *Abbatissa Gandersheimensis*, cujus Abbatissam nunc esse *Henriettam Christinam*, Filiam Sereniss. Ducis Brunsvvic. & Luneb. Antonii Ulrici, testis est Dn. Pfeffing. *l. c. p.* 347. (9) *Abbatissa Burscheidensis* nõ procul ab Aquisgrano Dn. Im-Hoff. l. c. §. 19. (10) *Abbatissa Heggenbachensis*, (11) *Roto-Monasteriensis* (12) Beindensis. (13) Abbatissæ Ratisbonenses in Ober- und Nieder-Münster tantum voto curiato gaudent. vid. Gastel. *de Stat. Publ. Europ.* 844. Hæ Abbatissæ, licet nonnullæ Evangelicæ sint, jure suffragii & sessionis in Comitiis gaudẽt. Imo posse etiam has nubere, citra resignationem beneficii, multis rationibus deducit Nobiliss. Dn. Thulemar. in Tract. sub tit. Wenige doch Wichtige Rationes, daß Eine der Evangelischen Religion zugethanene Abtißin in Teutschland / wenn sie sich vermählet/ nicht nöthig habe zu resigniren, 1691.

§. XXIII.

§. XXIII. Hi Abbates, Prælati, & Abbatissæ modo enumeratæ, in Collegio Principum, locum occupant, & quidem in Scamno Ecclesiastico & singuli jure suffragii ad summa Imperii negotia concurrunt. Sunt vero præter hos alii Prælati, qui dignitate Principum non eminent, & hinc in infima parte scamni hujus sedent, ac post Principes seculares, ante tamen Comites, Recessibus Imperii subscribunt. *Duo* tantum vota in Comitiis habent *curiata* & id propter in *duo* Directoria, *Svevicum* scilicet & *Rhenanum*, dividūtur. Ad *istud* pertinent Abbas *Reichenaviensis, Salmansvveilensis, Rochenburgensis, Minchenrodensis, Weisnaviensis, Schussenridensis, Petershusanus, Wettenhusanus, Zvviefaltinus, Gengenbacensis, Weingartensis, Ortenburgensis, S. Georgii apud Ysni.* Hoc, scil. Rhenano Directorio, continentur, *Keysersheimensis, Werdensis*, Abbas *S. Ulrici & S. Afræ Augustæ Vindelicorum*, Abbas *Monasterii S. Vallis Gregorianæ*, Abbas *S. Cornelii apud Aquisgranum*, aliique vid. Brusch. *de Abbat. & Can. Germ.* Dn. Schwed. *J. P. part. spec. Sect. II. c. VI. §. ult.*

§. XXIV. Reliqui Prælati & Canonici non immediate gaudent, sed subsunt suis Episcopis vel aliis. Subsunt etiam Canonici Romano-Catholici sub Evangelicis, & vice versa. Uti enim *1624. 1. Januarii* in possessione & exercitio religionis fuere, ita etiam relinquendi sunt vi Instrumenti Pacis. Tali ratione illa quæ Evangelici possederunt in dicto termino; iis salva relinquenda sunt. Hinc si Canonicus Evangelicus transeat ad Pontificios, mox suo beneficio a Domino privari potest. *Instr. Pac. Art. V. §. 15.* Atque ex hoc capite aliquando Elector Saxoniæ Agnato suo Domino *Christiano Augusto* Pontificio facto, Ballivi-am Thuringiæ ademit. Quamvis vero Magister Teutonicus hoc ægre ferret, & se opponeret, tamen frustraneam operam collocavit vid. ill. Dn. Stryk. *Diss. de Jure Papal. Princ. Evangel. cap. 3 §. 4.*

§. XXV. De cetero magna est Pontificis auctoritas & potentia circa Capitula catholica etiam mediata. Pertinent huc in primis *Menses Papales*, qui nil aliud sunt, quam reservationes Papæ, ubi cessat Ordinaria Capitulorum electio. Sunt illi menses *Januarius, Martius, Majus, Julius, September, November.* In hisce mensibus si decedat Canonicus, penes Pontificem, per Concordata Germaniæ, est constitutio Canonicorum. In reliquis mensibus ordinaria

dinaria electio Canonicorum locum habet, nisi quod per modum *extraordinariæ provisionis* soleat Papa, rarius tamen, aliquem constituere. Alternant igitur eligendo, conf. Link *de Concord. Germ. c. 2. n. 36.* Interdum etiam *Jus primariarum precum*, quod in Capitulis competit Imperatori, alterat hocce mensium jus, de quo supra egimus.

§. XXVI. Ceterum cum per *Instrum. Pac. Artic. V. §. Jus Diœcesanum*, hæc Pontificis potestas sit suspensa in Canonicatibus Evangelicorum, & omnis illa potestas Statibus, sub quibus degunt ista Capitula, sit transcripta; illi merito sibi vendicant exercitium horum jurium, & hoc est famosum illud *jus Papale Principum Evangelicorum*, quod eleganter & solide deductum est in *peculiari Diss. sub Præsidio illustr. Dn. Stykii habita*, quem novissime secutus est Nobiliss. Dn. Thulemarius *eleg. Responso de illicita appellat. in Caussis Statuum Ecclesiasticis, superiori anno tertia vice edito, n. 15. p. m. 16.* Hinc & testatur Ill. Dn. de Rhetz *Jur. Pub. l. 1. tit. 16. §. 8.* SerenisS. Electorē Brandenburgicū hoc jus mensiū Papalium sibi vindicare & exercere in suis Canonicatibus & Capitulis. Unde porro fluit, & reliqua Jura Pontificis v. c. *Jus Annatarum* & alia devoluta esse in Principes. Uti enim Annatæ Pontifici solutæ fūt instar subsidiorū belli Turcici & ad repellēdos infideles; ita pari modo inde deducitur, posse Canonicos & Capitula adstringi ad subsidia extraordinaria belli & aliorum negotiorum pro salute Patriæ susceptorum a Principe. Pertinet huc collatio pecuniæ *maritimis negotiis* destinatæ (die Marin-Gelder) vid. Churfl. Brandenb. Reglement von Marin-Geldern d. an. 1691. Hoc eo magis indubium est, si Capitula & Canonici Landsassii sint & in Diætis provincialibus primæ sessionis, uti Capitulum Caminense in Pomerania. Quæ omnia plenius deducit *laudata Dissertatio Cap. IV.*



DISSER-



DISSERTATIO VIII.

De STATIBUS IMPERII SECULARIBUS.

SUMMARIA.

STatus seculares dignitate Ecclesiasticis inferiores potentia vero, & Domuum antiquitate superiores. §. 1.

Principum Imperii Conditio sub Francis & stirpe eorum extincta. §. 2.

Primarii inter illos Duces, mutatio nonnullarum Domuum Ducalium. §. 3. Incrementum Domus Austriacæ. ibid.

Lauta privilegia Austriacorum & considerationes Politicorum circa illa. §. 4.

Divisio Domus Austriacæ in duos Ramos. Regna & Provinciæ Lineæ Germano-Ferdinandinæ. §. 5.

Duces ad Imperium nostrum pertinentes. §. 6.

Ducum Saxoniæ antiquitas. Wettin hodiernorum castrum gentilitium. Divisio in duas lineas. Scriptores. § 7.

Privilegia & insignia Ducum Saxoniæ jura. §. 8.

Ducum Bojoariæ origo, divisio in lineas, Rudolphinam & Wilhelminam. Consangvinitas cum Comitibus Palatinis ad Rhenum. §. 9.

Sereniss. Ducum Luneburgensium & Brunsvicensium per vetusta origo. Potentia eorum antequam Henricus Leo *injuste spoliaretur provinciis suis. §. 10.*

Potentia hodiernorum Ducum, eorum jura præcipua & prærogativa. §. 11.

Lineæ hujus Domus, autoritas in Circulo Saxoniæ inferioris, munimenta ejusdem. §. 12.

Ducum Meckenburgicorum initium, divisiones, motus nuperrimi super Successione. §. §. 13.

X Duces

DISSER-

§. I.



Rimarium quidem locum in Comitiis, ex antiqua & toti fere orbi insita erga clerum reverentia, relinquunt Statibus Ecclesiasticis Principes Seculares, interim tamen antiqua prosapia, potentia, plerique horum illos antecellunt, ut non inepte pronunciaverit quidam curiosior peregrinatorum apud Lanlium *de laud. Germ.* se in *Italia* splendida ædificia, in *Gallia* regulis politicis conformem Statum, *in Anglia* & *Belgio* florentissimum commerciorum cursum, ast in *Germania* multitudinem Principum splendore, antiquitate & potentia domuum Regibus fere parium, vidisse & admiratum esse. Distingvuntur autem hi Principes, quod vocabulum omnibus in sensu politico commune est, in *Duces* (inter quos primo loco sunt Archi-Duces,) *Marchiones, Comites Palatinos, Landgravios, Burgravios, Principes simpliciter dictos*, Quod originem potentiæ eorũ attinet, illa a primo periodo superioritatis territorialis, superiori Dissertatione expositæ jam, derivanda est, Unde vero venerit, ut diversos titulos nacti sint, alii Ducum, alii Marchionum, Ordine & secundum seriem historiæ Germanicæ e monumentis vetustis eruit B. Struvius *Diss. sub Præsidio Conring. habita de Ducibus & Comitibus Imperii Germanici.*

§. II. Nobis interim pro ratione instituti observasse satis est, quod Principes Germani, Francorum secundæ stirpis, nimirum Carolingicæ, auspiciis in unam Rempublicam coaluerint, & titulo Regni legitimi & cum Franco-Neustrico fœdere juncti sub uno Capite steterint, nec statim Principes Imperii aut Regni appellati sint, & si jus statuendi in Comitiis & eligendi etiam Reges omnes simul habuerint, inprimis quando Germania a Francia Neustrasica, tempore Ludovi Germanici, recessit & separata est, & deinceps per se sola & soluta fœderis nexu mansit. Vid. *Scriptores Francici a Pithæo, Frehero, Duchenio editi.* Principes autem hi immensum creverunt lapsui vicinis Francorum rebus in Germania. Præcipui inter eos fuerunt

runt Bojorum, Saxonum, Svevorum, Franco-Germanicorum & Lotharingorum Duces, quorum potentia tempore successorum Caroli M. insigniter aucta est, vid *Chron. Spir. Struv. al. leg. Diss.* Dn. Coccejus *Jurisprud. Publ.*

§. III. Verum inter Duces hosce magna familiarum mutatio postea contigit. *Francoma* enim & *Svevia* priscos suos Duces amiserunt. Illi defecerunt in Henrico V. Imp. & pervenit terra ad *Hohenstauffios Svevos*, seculo XII. quorum adeo Franconia & Svevia erat. Ultimus autem ex hac Domo Conradinus 1268. Neapoli securi percussus est ab usurpatore Regni, Carolo Andegavensi. Hinc *Austriaci* magnam Sveviæ partem adepti sunt, cum essent huic sangvinitate juncti. Inde felicitate & & virtute ad summum Augusti hominis fastigium evecti; multas Provincias gradu caduci, titulo connubii, pacti, belli sibi vindicarunt. Conditor magnitudinis & qui primus Augusti titulum intulit genti Habspurgicæ, *Rudolphus I.* est. Sedes genti olim in Arce *Habspurg*, Castro gentilitio in finibus Helvetiæ ac Sveviæ sito, quod jam Helvetii Bernenses possident. vid. Francisc. Gvilleman. *de reb. Austriae. Origines Murenses.* Chiffletius *in Stemmate Austriaco.* Antiquissimi ergo sunt Austriaci Duces, non tamen ex familia *Perleoniorum* Romana descendunt, uti nonnulli fabulantur, sed ex Regno Burgundiæ & veteri Francorum stirpe paulatim se evexerunt ad capessendum Germaniæ Regnum.

§. IV. Causas vero cur Habspurgiæ Comes Rudolphus electus fuerit, polite inquirit Monzamban. *de Stat. Imp. c. 2. §. 3.* Insignes hic prærogativas & opima privilegia indulsit, quæ postea Carolus V. auctiora reddidit. Titulo ArchiDucali minimum a temporibus Friderici, Austriacos constanter gavisos esse, demonstrat Dn. Obrecht *ad Monz. p. 27.* & Dn. Kulpis *ad eund. p. 226.* Sunt inter illa Privilegia præcipua fere capita, quod Austriæ Dux non teneatur investituram petere extra suas ditiones, sed illa in iisdem ipsi debeat offerri, & cum alii Principes eorumque legati flexis genibus

bus tenentur feudum accipere, Austriæ Dux in proprio territorio Equo insidet tecto capite. Potest etiam ad Comitia comparere, si velit; si nolit, non tenetur. Deficientibus masculis ad feminas devolvitur Austria. In Ditionibus suis creat Nobiles, Barones, Comites. Ad Imperium nil conferre tenetur. A Sententia ejusdem provocatio non datur. Sat politice circa illa philosophatur Monzambanol. c. ita tamen, ut simul prodat quod mordax in Austriacos fuerit, & nonnulla non tangere magis decorum fuisset.

§. V. Varia etiam Regna & Provincias acquisivit ArchiDucalis Domus, quæ in duas divisa lineas, quarum una *Burgundico-Hispanica* a Philippo II. initium capit, altera *Germano-Ferdinandina*, ex qua gloriosissimi Principes Leopoldus & Josephus. Illa quo ad stirpem masculinam exspiravit nunc cum Carolo II. quod an effusioni sangvinis innocentum per inquisitionem Hispanicam, toto orbe famosam, adscribendum cum nonnullis sit, scit ille, cujus judicia sunt justa & imperscrutabilia, qui avertat etiam bellorum flammam quam busta Caroli minantur nunc Europæ. Interim floret Linea Austriaca Germanica, & ut porro vigeat ac triumphet, optat Germania intimis suspiriis. Hæc linea præter *Silesiam, superiorem & inferiorem Austriam, Styriam, Carinthiam, Tyrolum*, duo florentissima *Regna*, etiam cum Provinciis inde dependentibus, in hereditate sua connumerat. *Bohemia* 1547. jure electionis ad Austriacos pervenerat, cum autem Proceres Bohemiæ resilire vellent a Ferdinando II. atque Electorem Palatinum eligerent; hic una cum Bohemis victus, illique in Patrimonium redacti sunt. Idem fere fatum *Hungariæ*, quo Regno feliciter erepto Turcarum manibus, *1687. 9.* Novembr. Posonii coronatus est in Hungariæ Regem Josephus, Hungarique adacti, ut fidem obligarent, linea Austriacorum Germanica extincta, se fidos manere velle Hispaniæ, inde Bavariæ, & tandem Lotharingis. Unde facile patet, *Privilegium Andreæ*, ad quod Ungaris provocare solenne erat, nunc plane extinctum esse.

§. VI. Post Archi-Duces seqvuntur Duces. Nomen hoc prima apud Germanos militaris officii, vid. Anton. Matthæi *de Ducib. Comit. l. 1.* Dein sub Francis subactarum Provinciarum Rectores fuere. conf. Rhenan. *l. 2. Rer. Germ. p. 157.* Hodie vero in Imperio nostro pro Ducibus Imperii habentur, qui de territorio Ducatus nomine insignito, ab Imperatore investiti sunt. Tales sunt Duces *Saxoniæ*, *Bavariæ*, *Brunsvico-Luneburgenses*, *Mecklenburgici*, *Würtenbergici*, *Holsatiæ*. De Duce *Sabaudiæ* & *Lotharingico Diss. IV.* actum est, quatenus ad Imperium pertineant. Reliquæ Provinciæ Germaniæ Ducatus nomine venientes v. c. Pomerania, Clivia, Julia, Montes, item Sveviæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. extinctis familiis Dominorum & Ducum suorum, ad alias Domus pervenerunt.

§. VII. Singuli Ducatus, ut & Ducum origo, domus, privilegia, ordine nunc recenseri merentur. Initium a Ducibus Saxoniæ erit. Pervetusta & rebus gestis clara gens Saxonum est in Annalibus patriis, plures tamen fines gentesque nomine suo complexa est, quam hodie, ex quibus qui Mare accolerunt victricia arma in ipsam Angliam intulerunt, de qua historia venerabilis Beda, Sec. VII. scriptor, consuli potest. Postea Wittechindus Corbejensis Monachus annal. *lib. 3. qui extat cum notis Reineri Reineccii in Opere Pistoriano*, Saxones distinguit in Orientales, Occidentales, & transAlbinos. Tempore Caroli M. insignis Saxonum Dux Wittekindus fuit, qui cum Carolo M. satis acriter diuque certavit. Ab hoc an descendant una serie lineaque Duces & Electores Saxoniæ, peritiores merito dubitant, conf. Dn. Schurzfleischii *Diss. de VVittekindo*. Interim certior genealogia est, quæ Duces Saxoniæ a *Comitibus VVettinensibus* derivat, quod novissime adhuc præstitit Dn. Cellarius *in Originibus Comitum Vettinensium*. Wettinense Castrum igitur gentilitium hujus Domus est, secundo lapide ab Hala nostra distans, inque Serenissimi Elect. Brand. potestate. Reliqua hujus familiæ fata & mutationes ex Historicis peti debent, quales sunt *P. Albinus*, accurationis laude reliquos

 ante-

antecellens, *Fabricius, Peccensteinius*, & inter Chronica *Pirnense* ac *Pegaviense*, quæ inprimis spectant ad notitiam rerum Misnensium Divisi sunt Saxonici Duces in duas Lineas primarias *Ernestinam* & *Albertinam*. Illa olim Electoratu gaudebat, sed infelici bello Johannis Friderici cum Carolo V. hac dignitate excidit, & hodie ad illam vetus Patrimonium Thuringiæ spectat. In quot ramos Ernestina linea post divisa sit, quodnam cujusvis Domus & Principis reghantis nomen, sedes, matrimonium, libri, nostrum non est recensere, cum ad Genealogicos pertineat, apud quos, inprimis Henningium, Albizium, Reisnerum, Spenerum, Im-Hofium, Lohmayerum, copiose talia inveniuntur. Quantum autem intempestivis hisce divisionibus, nocitum fuerit, sero animadversum est introducto in nonnullis Domibus jure primogenituræ, quod si; Ernesto Pio, Principi potenti satis & accessionibus hereditariis Ducatuum aucto, placuisset, melius prospectum fuisse credunt politici magnitudini, potentiæ & inde autoritati in Imperio Ducum hujus Lineæ. Hodie vero Electoratus dignitate gaudet Linea Albertina, quippe ad quam, in Mauritio a Carolo V. constituto, migravit 1547.

§. VIII. Omnes autem Saxoniæ Duces habent insigne privilegium *de non appellando*, & primum quidem A. *Bulla c.* 11 §. 3. Elector solus, postea toti familiæ Saxonicæ commune hoc factum est concessione Imperatoris Sigismundi Imp. 1423. confirmatam a Maximiliano I. 1444. aliisque subsequentibus Imperatoribus, vid. B. Carpzovii *Diss. de Privilegio Electorum & Ducum Saxoniæ de non appellando*, de quo turbato Camera Imperialis accusata est 1570. teste Balthasare Venatore *Relat. Comit. 3. n. 44.* Habet Linea Ernestina V. suffragia in Comitiis, qua Duces Gothanii, Vinarienses, Eysenacenses, Coburgenses, Altenburgenses. Reliqua jura recenset & vindicat B. Zieglerus *Diss. de Jur. Elect. & Duc. Saxon.*

§. IX. Du-

§. IX. Duces Bojoariæ ex perantiquis Comitibus Schirensibus prognati sunt, ex quibus descendit Otto Wittelsbachius, quem, proscripto & Ducatibus mulctato *Henrico Leone*, Ducem Bajoaricum creavit Fridericus I. sive nobarbus, sed multas provincias detraxit, atque, sic potentiam Bojiciam sibi timendam fregit. vid. Jo. Aventinus *Annal. Bojic.* & Wigul. Hundius *in Metropol.* qui præ aliis accurate de Bojoaria scripserunt, & Genealogiam diligenter tradiderunt. Ottonis Filius Ludovicus multis accessionibus auctus vires collegit, & a Ludovico II. cognomento *Severo*, ita firmatus corroboratusque est, ut duo ejus filii extiterint propagatores duarum potentissimarum linearum, *Rudolphinæ*, cui Palatinus ad Rhenum cessit, & *VVilhelminæ*, cui Bavaria mansit, quæ ad tempora A. Bullæ alternatim electionis Imperatoriæ officio functæ, usque dum Carolus IV. Bulla sua ad solos Palatinos transferret, haud dubie instigatione Pontificum, quippe qui ob acres concertationes Ludovici Bavari Imperatoris cum hac Sede, & strenue vindicata jura Imperatoria in Italiam, implacabili odio tum prosequebantur Domum Bavaricam. conf. Hervvarti *defensionem Ludovici Bavari*, librum rarum & valde doctum. Reliqua jura Ducum Bavariæ jam supra in serie Electorum recensita sunt,

§. X. Hinc conferimus nos ad Serenisss. Duces *Brunsvicenses* & *Luneburgenses*. Hi ab *Atestinis* Lombardiæ Liguriæque potentissimis, olim Principibus connubio antiquissimorum Sveviæ Comitum *Altorfensium*, descendunt, ducta ab Azone Estensi Marchione Kunigunda, ultima stirpis Altorfensis Viragine, cum qua amplum ejus familiæ Patrimonium ad ipsum transiit. Hujus filius *VVelphus*, quem Henricus IV. Ducem Bojoariæ creavit, a quo tempore Ducalis dignitas continuata, & aliquando post etiam novi Ducatus accessio facta est, cum Lotharius II. Henrico cognomento superbo, data ei in nuptum filia, etiam amplissimum Saxoniæ Ducatum insuper concederet. Utrumque vero amisit 1180. in Comitiis Herbipolensibus *Henricus* ob magnani-

gnanimitatem *Leo* cognominatus, Princeps quo antea Germania potentiorem ex suo ordine vix habuerat. Vid. Arnold. Lubec. *Lib. 2. Chron. c. 15.* Albertus Stadensis *ad an.* 1177. Qvantum autem apparet ex hisce monumentis turbidis & satis confusis, nullo suo merito, sed injuste Henricus spoliatus est a Friderico I. & hujus processus iniqui contra Ducem fuere. Svasoria causa (ut ut justificæ aliæ prolatæ sint) fuisse videtur Ducis hujus potentia, inde æmulatio & invidia reliquorum, tum & metus occultus Svevicorum Imperatorum ex eodem fonte derivatus, ne dignitatem Cæsaream quam in sua familia retinere cupiebant, ad se traheret. Conf. Dn. Pfeffing. *Vitriar. Illustr. L. I. t. 15. p. 377. seqv.*

§. XI. Tandem beneficio Friderici II. 1235. institutus est Ducatus *Brunsvicensis* & *Lüneburgensis* ex reliquiis Patrimonii proprii Allodialis. Quamvis vero hæc Familia tam insignium amplorumque Ducatuum jacturam fecerit, conf. Dn. Schurzfleischii *Diss. de Henrico Leone*; tamen adhuc viribus suis valida, præpotensque est inter Germaniæ Principes, magnasque dignitates in *Circulo Saxoniæ inferioris* tenet. Speciatim *Condirectorium*, ut vocant, in Diætis ejusdem Circuli exercet, atque a longissimo tempore hi Duces Capitanei sunt hujus circuli, situs & potentiæ ratione ad tuendos Germaniæ fines erga Septentrionales Reges opportunissimi. Concordia hæc Domus se munire hactenus consvevit, vicinosque Reges idonea æquilibrii ratione temperavit, bellis contra Gallos & Turcas permagnum robur attulit. Gaudet etiam IV. suffragiis Imperialibus, atque in Comitiis, præcipue in Consessu Principum secularium magnam auctoritatem præ cæteris habet, & apud exteros Reges magni semper æstimata ac culta est hæc Domus.

§. XII. Linea *Cellensis* amplum habet territorium quod comprehendit Ducatum Luneburgicum, Cellensem, Principatum Dannenbergicum, Comitatus *Hoyensis, Diepholdensis* & *Hohensteinensis*, olim clientelares, jure Calduci ad ipsam

psam pervenerunt, pertinet ad eam & Prælatura *Valkenraden-sis*. Linea Hannoverana obtinet Ducatum *Calenbergicum* & *Grubenhagensem* cum metalli fodinis divitibus in tractu Hartzico, in cujus oppido Clausthalensi etiam judicium est de rebus metallicis. Gvelferbytanis in compensationem Ducatus Dannebergici tradita *Urbs Brunsviga*, quæ a Brunone Duce extructa, in Patrimonium ditionemque Ducum redacta & postliminio recepta est feliciter, arctiusque cum Ducatu conjuncta copulataque est, & novis Nundinis universalibus aucta fuit ad commercia magis facilitanda. Variæ etiam munitæ urbes & propugnacula in finibus regionum Ducatus hujus sunt excitatæ firmatæque. Hamela aditum Visurgis custodit, *Tollenspicara* munimentum vicino propugnaculo in Albi oppositum. Hannovera, Gvelpherbytum, Brunsvviga, Nienburgum, Gvettinga, robur & munimentum Ducatui præstant, præterea situs montium & fluminum apertos fines claudunt. Episcopatus Hildesicus dividit aliquantisper territorium eorum, habent tamen Duces Patrocinium urbis Hildesiæ, & in eo sunt Statu, ut ab Episcopo nil timeant. Cellensi Ducatui præest *Georgius Wilhelmus* Princeps inclutus & laureis ac victoriis a Gallis reportatis clarus. Hannoveræ residet *Gorgius Ludovicus*, Electoralem dignitatem Patri collatam, asserens. Lineam Wolffenbüttelanam ornant *Serenissimus RUDOLPHUS AUGUSTUS, maximus studiorum æstimator, qui pulcherrimo exemplo pacificæ concordiæ, Serenissimum Fratrem ANTONIUM ULRICUM, ad communionem regiminis principalis vocavit*, verba sunt Dn. Thomasii ad *Monzamb. p. 119.*

§. XIII. Duces *Megapolitani* sive Mecklenburgici ex veteri Obotritorum gente prognati sunt, qui olim cum potestate regia terris suis præfuerunt, postea autem a Saxonibus in ordinem redacti, iisque vectigales facti, fortunam sæpe variam subierunt. Demum Caroli IV. auspiciis Duces creati 1349. amplificarunt splendorem, ast proximis bellis, maxime tricennali, motibus Germaniæ implicati, Ducatu suo aliquan-

aliquandiu carere, donec victricia Gustavi Adolphi arma illos restituerent natali solo. Suffragia ferunt in Comitiis IV. duo ratione Ducatus & Principatus Sverinensis, tertium ratione Ratzeburgi, & quartum Gustroviense est. Prærogativam sessionis afferunt sibi ante Duces Juliacenses, Wurtenbergicos, Landgravios Hassiæ, Marchiones Badenses, qui tamen more Curiæ protestantur. In Instrumento pacis loco Wismariæ Svecis cessæ in compensationem acceperunt Ratzenburgum & Schwerinensem tractum. Ceterum divisionibus potentiam suam non modice debilitarunt. Novissimæ lites in hac domo fuerunt super successione Ducis Gustraviensis, in cujus dijudicatione cum Cæsarea Aula justo citius rem perficere vellet, Directores Circuli Saxonici inferioris, nimirum Rex Sveciæ, qua Dux Bremensis, Elector Brand. qua Dux Magdeburgicus, Dux Cellensis, utpote Dux Circuli, Cæsareo Commissario semet opposuerunt & jura circa hanc rem ipsis competentia haud segniter vindicarunt, quorum procedendi modum defendendum susceperunt publica scripta. Nunc autem res illa amica transactione composita est, si Relationibus Publicis fides habenda est.

§. XIV. Duces *Würtenbergici* 1495. a Maximiliano I. Duces creati sunt, cum antea tantum essent Comites, quorum primus ab Henrico IV. renuntiatus nomine Conradus ex gente Beutelsbachiorum oriundus. Nomen Eberhardi in Domo felix faustumque, nam Eberhardus Senior Comitatum *Teccensem*, Eberhardus Junior F. Comitatum *Montispeligardi*, uterq; uxorio jure, acquisivit. Cum casu Hohenstaufficæ stirpis multa iis accesserunt quippe vicinis & in commoda sua intentis. Aliquando tamen infelix fuit hæc Domus ob interceptam *Reutlingam* contra *fœderis Svevici* socios, a quibus Ducatu spoliata, vendito illo Carolo V. Verum Philippi Magnanimi Hassi felicibus armis restituta est transactione Cadamensi, ita tamen, ut beneficii jure ab Austriacis penderet. Ast a nexu hoc liberavit Rudolphus II. 1599. immediatate restituta. vid. Joh. Strauch. *Diss. Exoter. X.* Duo vota de cetero habent in

Comitiis ratione Würtenberg & Mompelgard. In Circulo Svvevico ratione directionis & convocationis haud exiguæ autoritatis. Viget etiam in hac familia Jus primogenituræ, vid. Limnæus *Jur. P. lib. V. c. 16. & in Addit.* Ager hujus regionis est optimus & vini frugumque feracissimus. Situs Stutgardiæ Italiæ faciem præfert deliciasque imitatur. Inter privilegia sua connumerant *Jus vexillum Imperii* gestandi, unde acres lites haud ita pridem agitatæ sunt inter hanc Domum & Hannoveranam, de quibus supra egimus. Reliqua de hac Domo tradit Crusius *annal. Svevic.*, in quibus tamen multa edidit, quæ nollent edita Svevi. add. Martinus Zeilerus *in Chron. Documenta VVürtenbergica* quæ edita prostant, eruditis etiam in deliciis sunt.

§. XV. Holsatiæ Duces 1474. auspicio Friderici III. Imp. in altius evecti fastigium, Comitum titulum cum Ducali honore mutarunt. Ducatum vero Schlesvvicensem ex diversa causa & separato jure tenuerunt, donec Friderico Duci Gottorpino jure supremi dominii tribueretur, quod cum 1675. sibi per insidias Daniæ Rex vindicaret, 1689. tamen pactione Altonaensi Dux Christianus Albertus in supremum Ducatus Schlesvvicensis dominium restitutus fuit, & novissima compositione Sveco-Danica in hoc stabilibus est. Dividitur vero Domus Holsatica in duas lineas, una Regia, altera Ducalis Gottorpina vocatur. Illa Glückstadii, hæc Gottorpii regimen constitutum habet; qualibet habet suffragium in Comitiis. Ratione Sessionis multæ ipsis lites ortæ cum Landgraviis & Marggraviis, ut & aliis Ducibus, nam proxime a Brunsvvicensibus collocari cupiunt. Cum quibusdam alternant etiam. Jura quæ prætenduntur in Hamburgum, hic fusius recensere non patitur institutum, vid. interim Danckwerti *Chron. Holsat.* & Lambec. *de Reb. Holsf.*

§. XVI. Post Duces seqvuntur Comites iique non simplices, sed quibus in signum officii appellatio certa superaddita. Pertinent huc *Marcgravii, Landgravii, Palatini Comi-*

tes ad Rhenum & *Burggravii*. Singulorum denominationes & jura breviter percurrere nunc animus est. Marchiones igitur sive Marcgravii denotant idem quod præfecti limitum, qui ad fines custodiendos constituti sunt. Vox *Marca* enim limitem eo tempore denotavit teste Lindenbrogio *in Glossar. h. voc.* conf. Dn. Coccej. *J. P. c. 15. §. 15.* Duces igitur in Meditullio Germaniæ, Marchiones in finibus præfuerunt. Varios hosce Marchionatus Carolus M. condidisse fertur. Nam Marchionatum Brandenburgicum adversus Wilsos & Sorabos aliasque Venedicas gentes, Marchionatum *Austriacum* adversus Hunnos, Marchionatum *Badensem* ad defendendum Rhenum, Marchionatum *Misnensem* contra Bohemos instituit teste Pacific. a Lapid. *Strict. in Monzamb. p. 119.*

§. XVII. Verum ex his supersunt hodie tantum Brandenburgicus & Badensis. Tres Lineæ Marchionum Brandenburgicorum sunt, *Electoralis*, *Culmbacensis* sive Baruthina & *Onolsbacensis*, quæ ex filiis tribus Johannis Georgii Electoris exortæ sunt. Genealogias exhibet Lohmeyer *in Tabell.* Marchiones hi etiam extra lineam Electoralem Duces præcedunt nonnullos in Comitiis, & de cetero magnus, contemplatione stirpis Electoralis, splendor iis accedit.

§. XVIII. *Marchiones Badenses* ex antiqua Svevorum gente originem ducunt, & seculo XII. titulo ac honore Marggraviorum insigniti sunt. Suffragia in Comitiis tria habent, Badense, Durlacense, Hochbergense. vid. Diss. Dn. Schurzfleischs *de Reb. Badens.* Landgraviatus Sausenberg & Dynastia Rotelen jure connubiali pervenerunt ad familiam Bedensem conf. Munster *in Cosmogr. lib. 3.* Hodiernus Marchio Badensis Ludovicus, jure connubii nonnullas terras Domui sui adjunxit, cujus de cetero fortia facta erga hostes Imperii Orientales & Occidentales, Gallos & inprimis Turcas, fama præconiis nostris major effert, & posteritas nunquam intermoritura memoriæ æterna jubebit esse. Ge-

nealo-

nealogiam & varias successiones Marchionum Badensium exhibet in hisce satis diligens annotator Limnæus *J. P. L. V. c. 5. & in Addit. Marchiones Misniæ* quod attinet, illorum origo, successiones & jura Saxonicis monumentis sunt inserta apud Albinum, *Chron. Misnensi*, Reiner. Reinecc. Chronico von der Meißner Herkommen. *Marchiones Lusatiæ & Budissinenses* a scriptoribus rerum Silesiacarum memorantur, quales sunt Schickfusius in Chonico, qui omnibus præferendus in hoc genere. *Marchionatus Antverpiæ* olim etiam ad Imperium pertinuit una cum Belgio, sed hodie eidem exemptus fere est. conf. interim Caroli Scribanii *Antwerpiæ historia* & Limnæus *J. P. lib. 3. c. 9. §. 15.* De *variis Marchionibus Bojvariæ* hodie fere extinctis, v. Lazius *de Migrat. Gent. lib. 2.* docto libro quidem, sed non ubique accurato, quod & fere impossibile in tam intricata re.

§. XIX. Inter Landgravios (i. e. Provinciæ Comites sive judices Petr. de Andlo *Rom. Imp. l. 2. c. 12.* Spangenberg. *lib.* vo. des Adel Spiegels) Principes qui hodie in Imperio extant, fere unice hac dignitate illustres ac conspicui sunt Landgravii Hassiæ. Hi autem ex antiquis Brabantiæ Ducibus prognati circa initium seculi XIII. primordia dignitatis auspicati sunt. Henricus cognomento puer, Henrici *Magnanimi* Brabantiæ Ducis F. extinctis Ludovico *Sancto* & Henrico Raspone, jure matris Sophiæ, & transactione cum Henrico Marchione Misniæ, cognomine *illustri*, inita, Landgraviatum Hassiæ a Landgraviatu Thuringiæ separatum accepit, cujus posteri etiamnum florent & variis terrarum ac essionibus aucti sunt. vid. *Genealogia Pistorii inter Scriptor. Rer. Germ.* Thuanus *histor. lib. 41.* Dillich. *Chron. Hass.* & Trithemius *in Chron. Sponhemensi.* Comitatus *Catimelibocensis* (in quo situm fuit oppidum *Treburiarum*, cujus rudera tantum hodie supersunt, ob multa vero Concilia olim ibi habita non prætereundum fuit) jure uxorio ad ipsos devolutus est, unde lis tamen ipsis orta cum Comitibus Nassoviis, quæ transactione est sopita 1555. vid. Thuanus *ad h. an.*

§. XX. Di-

§. XX. Divisi sunt Landgravii in duas Lineas *Hassia-Casselensem*, & *Hasso-Darmstatinam*. *Illa* provinciis & potentia pollet; Darmstatinus tractus autem fertilitate soli præstat, commodo uberique loco situs Rhenum inter Mœnumque, ad cujus elegantiam facit Aulæ nitor, agri ubertas & Francofurti Emporii vicinitas. Ad Cattimelibuci partem inferiorem pertinet oppidum *S. Goari* cui e regione respondet arx Montana *Rheinfels* prospectu jucunda & ratione situs magni æstimata novissimo bello Gallico. Concessum vero fuit 1651. hoc oppidum una cum aliis appennagii jure Principi Ernesto, religionem reformatam cum Pontificia commutanti, & controversiarum theologicarum apprime gnaro. De cetero tria tota Domus Hassiaca habet suffragia Imperialia, ratione Principatus Casselensis, Darmstatini & Hirschfeldensis Abbatiæ jure seculi donatæ & Principali dignitate præditæ. In utraque linea regente jus primogenituræ viget a Cæsaribus confirmatum. *De tractu Marpurgensi* olim ingens controversia suborta est inter duas hasce lineas post mortem Ludovici Senioris, Principatus Marpurgensis Domini & 1604. sine liberis discedentis. Hic in testamento heredem Landgravium Hasso-Casselanum instituerat, si in religione Confessionis Augustanæ persisteret. Hoc cum non factum esset, Ferdinandus II. Lineæ Darmstattinæ adjudicavit, unde factum, ut Casselenses fœderi Svevico & Gallico contra Cæsarem firmiter innecterentur, ac armata manu illum sibi vindicarent. Habent etiam Landgravii *Pacta confraternitatis* cum Electoribus Saxonicis a Cæsare confirmatis, quæ postea ad Brandenburgicos Marchiones sunt extensa. Pactum unionis spectans mutuam defensionem intercedit etiam Hassis cum Domo Brunsvicensi, quod violatum esse a Philippo magnanimo qvestus est Henricus Brunsvicensis ap. Hortleder. **von Ursachen des Teutschen Krieges** *lib.* 4. Siti sunt Landgravii in *Circulo superiore Rheni*, cui in caducum parietem inclinanti robur addunt maxime hoc tempore, quo Gallus vicinos Rheno Ordines ad incitas fere redegit. Generale Hassiæ Judicium est Marpurgi, sed ab eo revisio peti

potest

potest Cassellis, hinc provocatio ad Tribunal Imperii, si summa 600. aureos excedat. Reliqua tradit Limnæus *J. Publ. lib. 5. c. 8. & in addit.*

§. XXI. Supersunt alii Landgraviatus, circa quos tamen insignes mutationes acciderunt, alii enim ut *Landgraviatus Thuringiæ* nomen mutarunt Ducali venientes appellatione, vid. *histor. de Landgrav. Thuring. in Oper. Pistor.* Limnæus *J. P. L. 4. . 4. n. 77. Landgraviatus Alsatiæ* ad Austriacos spectat, sed Gallis totus fere cessus. De hujus originibus & successionibus litigant inter se Chiffletius *in Alsatia* & Blondellus *præf. Apol. n. 13.* Dn. Obrecht. *Prodr. Rer. Alsatic. Vol. I. c. 6.* de *Landgraviis Leuchtenbergicis* ad Bavaros nunc spectantibus consulendus est Latzius *de Migration, Gent. l. 7.* & *Scriptores Bavarici.*

§. XX. Comitum Palatinorum dignitas uti pervetusta, ita etiam Principali dignitati annumerata est. Imo vero inter Principes primo loco habitos fuisse, multis demonstrat Marqv. Freherus *de Origin. Palat. p. 1. c. 12.* Est autem hæc appellatio nomen officii, dum idem significat quam Judicem *Palatii Regii*, inde etiam Germanice nonnulli inde reddunt Pfaltz-Graffen. vid. Dn. Coccejus *Jurispr. Publ. c. 3. §. 88.* Diploma ap. Mabillon. *de Re Diplom. l. 6.* Quod enim *Majores Domus* erant apud Reges Francorum lineæ *Merovingicæ*, hoc Comites Palatii apud Cæsares. Unde etiam in Aurea Bulla Cap. 5. Palatinus Comes ad Rhenum Judex ipsius Imperatoris constituitur. Postea etiam Palatinatus Saxonicus institutus est, intuitu cujus adhuc Elector ille Vicarius Imperii est, licet sedes Palatinatus Saxonici, quæ olim fuit *Alstäd*, Lineæ Ducali cesserit, quæ materia difficilis & forsan plenius aliquando excutietur. Saxonibus vero in Ducum titulo persistentibus Comites Palatini ad Rhenum soli retinuerunt hunc. Tota autem Linea Palatina VI. suffragia in Comitiis fert, (1) Electorale (2) Principale Lauterense, (3) Simmerense, (4) Neoburgicum, (5) Bipontinum, quod jure & per

& per pacta gentilitia ad Regem Sveviæ pertinet, (6) Veldentianum. Fertilissimus est ager, Palatinatus, & inprimis *Tractus Stratiomontanus* totius Germaniæ viridarium, quem Moguntinus recepit olim pignoris jure ad Palatinos spectantem. Verum bellis Germaniæ tricennario & nupero Gallico valde afflictus & desolatus est, & adhuc ob grassantem Gallorum potentiam indies incrementa capientem magnis periculis expositus est Palatinatus. Ad quod accedit hodierni Electoris paulo alienior animus (sive inclinatione, sive turbulentorum instigatione) a subditis Reformatis, pro quibus hactenus frustra reliqui Principes Evangelici preces interposuere. *Conf. Acta Publ. Comitialia novissima de hac re.*

§. XXIII. Burggraviorum nomen denique est, quod indicat illos simplicium Comitum numero exceptos esse, & majori Principumque amplitudine frui. Trahunt vero hoc nomen ab officio Imperiali, quod consistebat in præfectura Castri alicujus circumjacentisque territorii. Soli vero hodie, ex numero Burggraviorum principum dignitate fulgentium, supersunt *Burggravii Norici*, qui titulus, postquam dignitas Electoralis Brandenburgica 1417. beneficio Sigismundi Imp. ad hanc familiam transiit, huic mansit. Primus vero Rudolphus Habspurgicus hereditariam hanc dignitatem fecit in Friderico, Comite Hohenzollerano Svevo. Hic enim missus ab Imperio cum tabulis patentibus, ut electionem Rudolphi in Imperatorem ipsi notam faceret, præmii loco a novo Imperatore dignitatem suæ familiæ in posterum hereditariam accepit. Unde multas prærogativas possident adhuc in Circulo Franconio Marchiones Brandenburgici lineæ Franconicæ, directoriumque Circuli cum Episcopo Bambergensi commune habent. Jure hujus Burgraviatus Marchio Olnolsbacensis, possidet territorium *Urbi Noribergensi* circumjacens. Quæ ingenti summa pecuniæ, jura quædam in urbem intuitu Burgravia-

tus competentia, redemit. Habuerunt enim Marchiones olim peculiarem Castellanum (Burg-Vogt) in Burgo sive Arce Urbis, tanquam Vicarium suum in Urbe Norica. Præterea certum censum à Civibus colligendi jus habuerunt. Hæc vero Noribergensibus vendiderunt, non vero reliqua jura regalia Burgraviatus, quæ ipsis intuitu hujus dignitatis competierunt. conf. Dn. Im-Hoff. *Not. Proc. l. 4. c. 3. §. 2.* Præterea Burggraviatus Strombergensis olim satis celebris fuit, ast hoc ad Monasteriensem devoluto, hic votum in Comitiis propterea habet. vid. Dn. Pfeffing. de Kirchberg *Vitr. p. 444.* Sunt præterea nonnulli Comites qui titulum Burggraviorum gerunt, quales sunt & alii.

§. XXIV. Succedunt tandem *Principes Imperii*. Qui autem titulum hunc solum habuerint non invenias ex antiquis Principibus Germaniæ, præter Anhaltinos, qui soli ferè ex Principibus antiqua prosapia oriundis Principis appellatione contenti sunt. Genealogia eorũ, prout a *Brotruvio* & *Mirbobio* affertur, eos refert ad stirpem *Saxo-Ascanicam*, verum hæc multis dubitationibus sunt implicita. Tota hæc Domus, divisione in V. propagines facta & hinc debilitata, gaudet unico suffragio, quod Seniori in familia, qui hodie Bernburgicus Princeps est, vindicatur. Plenam historiam hujus Domus meditari dicitur Dn. Becmannus.

§. XXV. Reliqui qui hodie in Imperio simplicem Principum titulum gerunt, recentiores ac dignitate autoritate & opibus cum modo recensitis non comparandi sunt: Evexit vero ad hanc dignitatem plerosque Ferdinandus II. & Leopoldus. Causa vero cur Ferdinandus hoc susceperit non poterit aliquem fugere, qui hujus consilia, quæ spectabant ad Germaniam in ordinem redigendam, paulo attentius

tentius considerat. Putabat vero hac creatione novorum Principum Imperii plura suffragia ad nutum suum parata sibi conciliare. conf. Monzamb. *de Stat. Imp. Germ. c. 2. §. 9.* Principes igitur a Ferdinando II. & III. ut & hodierno Invictiss. Leopoldo creati sunt sequentes: *Hohenzolleren, Salmenses, Lobkowitz, Eggenberg, Dietrichstein, Nassau* in *Hadamar* und Dillenberg/ *Aursperg, Piccolomini, Portia,* Ost-frißland/ Waldeck/ Fürstenberg/ Schwartzenburg/ Oettingen/ aliique.

§. XXVI. Ast non æque facile est Imperatori recens creatos Principes ad votum & sessionem in Comitiis promovendi. Nam ad hoc non prius admittuntur, nisi habeant [1] bona immediate Imperio subjecta, & quidem tanta, ut quis Principum splendorem inde sustentare possit, (2) ad certa Imperii onera & contributiones adstringuntur, quæ promittere debent. Quod clare dispositum est in *Recess. de* 1654. §. 197. vid. Conring. *Not. ad Lampad. p. 3. cap. 5. §. 7.* Vi hujus constitutionis satis sero etiam nonnulli Principes in Collegium Principum introducti & admissi sunt, nonnulli autem plane non potuerunt eo adspirare. Sic Furstenbergii 1667. creati Principes Imperii anno demum sequenti votum & sessionem in Comitiis obtinuerunt. Georgius Fridericus Gomes Waldeccensis Principum charactere insignitus 1682. non nisi 1686. ad suffragia & sessionem admissus est. Reliqui qui actu hodie votum habent sunt Princeps Ostfrisiæ, Porcia, Furstenberg, Schvvartzenberg, Oettingen. vid. Kulpis. *ad Monzamb. c. 2. §. 9. p. 515.*

§. XXVII. Igitur Principes Germanici dividi possunt in Imperiales & Provinciales Schlechte oder Landes-Fursten. vid. Vitriar. *J. P. lib. 1. tit. 16. § ult.* Priores jam vidimus

vidimus, ad posteriores pertinent *Episcopi* qui Domui Austriaco subsunt, v.c. ArchiEpiscopus *Viennensis, Vratislaviensis, Neostadiensis*, ut & Duces & *Principes Silesiæ*, qui ad Imperium non pertinent, sed terras suas recognoscunt a Bohemia. Dein Princeps Imperii qui honoris causa hunc titulum impetraverunt, quales sunt *Sigismundus Bathorius* Princeps Transylvaniæ, *Razevilii* Principes, ex Lithuania oriundi, aliique.

§. XXVIII. Quemadmodum autem in Scamno Ecclesiastico, præter ArchiEpiscopos & Episcopos, nonnulli Abbates & Prælati dignitate principali licet non præditi comparent & *vota curiata* habent; ita etiam in scamno seculari nonnulli *Comites* & *Barones* locum occuparunt. Comitum enim & Baronum per Germaniam longe splendidior conditio, quam in aliis Regnis. Antiquissima eorum dignitas ab ipsis Reipublicæ incunabulis conspicua. Comes enim denotabat eo tempore Judicem, hinc etymologiam ejus recte deducit ill. Dn. de Rhetz *Inst. jur. publ. l. 1. tit. 17. §. 15.* a Comitatu i. e. jurisdictione. Teste enim Heidero, rerum patriarum peritissimo scriptore, in *Actis Lindaviens. p. 282.* **Ist bey der Carolinen Regierung ein Grafe nichts anders gewesen / als ein Land-Richter / der den Königs-Ban / anstatt des Königs / in seiner gantzen Graffschafft allein geführet / welches in solchen Gouw oder Graffschafft zu üben / sonsten niemand gebühret.** vid. & Kulpis. *ad Monz. c. 2. §. 12.* Habuerunt etiam eo tempore jam propria bona immobilia una cum juribus regalibus, uti hoc Lehmannus *Lib. 2. Chron. Spir. c. 17.* probat, quod Mabillonius *de Re Diplomat. l. 6. p. 504.*

p. 504. confirmat Diplomate Caroli M. Theobaldo Comiti dato ac concesso.

§. XXIX. Quod ad Comitum hodiernum Statum attinet, illi vel sunt Comites Principali dignitate fulgentes (Gefürstete Graffen;) vel Comites Imperii simpliciter sic dicti. Ad illos pertinet [1] *Comitatus Hennebergicus*, qui hodie ad Saxoniæ Duces spectat, & varie divisus est, vid. Dn. Im-Hoff. *l. c. lib. 4. c. 2.* § 13. (2) Comitatus Tyrolensis, qui Austriacis subest. Olim *Hapspurg* & *Mompelgard* tales etiam fuere. Reliqui Comites dividuntur hodie in *IV. Scamna*, Svevicum, Wetteravicum, Franconicum, & Westphalicum, unde IV. *Vota Curiata* habent. Ex his præcipui fere sunt, Comites de Nassau, Oldenburg, Furstenberg, Hohenlohe, Hanau, Sain & Witgenstein, Leiningen, Solms, VValdeck, Isenburg, Stolberg, VVied, Mansfeld, Reussen, Oettingen, Montfort, Konigseck, Fugger, Sulz, Cronberg, Sinzendorf, VVallenstein, Pappenheim, Cassel, Levvenstein, Erbach, Limpurg, Schvvarzenburg, Bentheim, Lippe, Rheni & Sylvarum, Rantzovv, & alii. Hi enumerati ad quod Scamnum pertineant, studiose inquirit Dn. Im-Hoff *Not. Proc.* secundum quem ad Collegium *Wetteravicum* VI. *Svevicum* VII. *Franconicum* VIII. *Westphalicum* IX. pertinent. Gaudent superioritate territoriali, quæ, si de Principe sermo est, vocatur Landes-Fürstliche, si Comiti

 Gräff-

Gräffliche/si Baroni competat Freyherrliche Hoheit, Conring. Exerc. Acad. 4. th. 17. Habent jus circa sacra; recipiunt Homagia a subditis, Cancellaria, Archivo aliisque ad territorium pertinentibus instructi, vid. Seckendorf. Teutsch. Fürsten-Staat p. 2. c. 7. §. 5.

§. XXX. Reliqui Comites Landsassii sunt, ad quos omnes pertinent, quibus dignitas hæc collata citra jus suffragii & sessionis in Comitiis Imperii, vid. Schutz. *J. P. vol. I. Exerc. 8. th. 7.* Dn. Becman. *not. Dign. illustr. Disp. 3. cap. 3.* nonnullos horum Comitum recenset etiam Kulpis. ad Mon. zamb. *c. 7. §. 12. p. 581.* Pertinent huc etiam *Comites extracti* a Principibus in quorum territorio existunt, quorum Catalogum exhibet Gastel. *de Stat. Publ. Europ. c. 31.* Multæ etiam familiæ Comitum Imperii extinctæ sunt, quæ videri possunt apud Dn. Pfeffing. *Vitriar. illustr. lib. 1. tit. 17. §. 17.*

§. XXXI. Succedunt nunc *Barones*, tales scilicet, qui ab Imperatore de Baronatu investiti sunt, & votum ac sessionem in Comitiis habent. Unde descendat hæc vox, nostrum non est inquirere. Vide circa talia curiosum Eybenium *in Elect. Feudal. cap. 9. §. 1.* Spangenb. Adel-Spiegel *lib. 10. c. 53.* Alii horum dicuntur semper-freye uti Barones Limpurgici, alii simpliciter Barones dicuntur; alii absolute tantum Domini, uti Domini de Reuss, hodie Comites, alii Edele Herren/uti Domini de Pudlitz in Marchia. De omnibus hisce eleganter actum est in Diss.

sub

sub Dn. Strykio habita a L. Bar. de Bibran *de Jure Baronum.* Hic etiam illud notabile est, quod in nullius Principis titulo, quantum mihi constat, titulus Baronis occurrat, cum tamen se Dominos v.c. Lauenburgi & Butovii, zu Ravenstein / der Lande Rostock und Stargard / appellare non dubitent.

§. XXXIII. Cum igitur Barones immediati paribus juribus cum Comitibus gaudeant, solet disceptari, an *hi Comitibus Landsassiis ratione praecedentiae praeferendi sint?* Equidem Comites immediatos Baronibus praeferri tralatitium est, vid. Dn. Schilter. *Com. ad Jus Alem. c. 1. §. 19. p. 36* Hic vero propterea quaestio est, quia Comites Landsassii sunt mediati illi autem immediati. Ex hoc fundamento asserit Fridericus Schenck, ipse Baro a Tauteberg, *Com. ad 2. F. 10.* debere immediatos Barones praeferri. Cui suffragatur Reinking *de Regim. Eccles. & Secul. Lib. 1. Clas. 4. c. 15. §. 24. seqq.* quia aeque (1) cum Comitibus jure comitiorum gaudeant, Landsassii non item. (2) in legibus Imperii Grafen und Herren semper parificentur, tam quoad matriculam, quam privilegium Austregarium, it. in munere Judicis & Praesidum Camerae Imperialis vid. *Ordin. Cam. P. 1. & §. 2. P. 2. t. 3. 4. 5.* (3) Pariter cum Comitib. dignitatem regalem consequantur, eandemq; potestatem,



DISSERTATIO IX.

De

CIVITATIBUS IMPERIALIBUS ET NOBILIBUS IMMEDIATIS.

SUMMARIA.

§. I. Ter-

§. I.



Ertium Collegium, cujus membra singula jure suffragii & sessionis in Comitiis fruuntur, ex *Civitatibus Imperialibus* componitur. Unde vero, & quo tempore, illam potestatem & optima jura nactæ sint civitates, non ita in aprico est, nisi origo urbium in Germania, earumque variæ conditiones ac mutationes, a suis revocentur principiis. Equidem quod attinet originem urbium in genere, illam fusius inquirere velle, longius nos ab instituto dimoveret. Breviter ita dicendum videtur. E Sacris literis clare edocemur, mundo recens condito nullas civitates fuisse, ac primis Parentibus ex horto Eden ob lapsum ejectis, illos una cum liberis rei pecuariæ ac agriculturæ studuisse. Postea Cainus, relicto innocentissimo hoc vitæ genere, primus urbem condidit, ex filii sui nomine Hanochiam cognominatam. Insecutæ hanc aliæ post Diluvium, Babylon, Erec, Ninive, Rehoboth, Reseph, quæ *Genes.* X. memorantur. Haud dubie autem a Cainitis ex ambitione, avaritia, voluptate condita prima urbs. Vicissim vero propago filiorum Dei in Sethi posteris conservata, pristinum vitæ genus in tuguriolis suis & Casis pastoralibus conservabat, usque dum luxu & inertia Cainitarum irretiti in civitates eorum transirent, ac tandem enormibus sceleribus universalem interitum per inundationem orbis provocarent.

§. II. Germaniæ autem antiquam faciem si intuemur, deprehendimus, Germanos a Civitatibus tanquam commerciorum & inde luxus receptaculis, abhorruisse, & pasturæ ac agro colendo militiæque deditos fuisse. *Prisci enim Germani*, Tacito teste, *nulla opum cupiditate, nullo luxu, rudi tecti vellere* & *cibo simplice, lacte, Caseo, agrestibus pomis, recenti fera contenti, vitam omnem in studiis militaribus transegerunt. Eoque commodius fuit discretis ac dispersis ædibus habitare, ut fons aliquis, ut campus, ut nemus maximo poterat usui esse, quod ita nihil possent desiderare sua beatitati. Nec peregrina mercatura,*

 tunc

tunc locus, vilia tantum & obvia petentibus, & nullo opum honore, opificia vero pene omnia exulabant, luxuria scilicet & mollis vitæ instrumenta. &c. Hic fuit Status Germaniæ magnæ ratione urbium, tempore Taciti. In partibus vero Cis-Rhenanis, Romanis subjectis, Civitates jam tum eo tempore fuerunt. Huc pertinent *Augusta Trevirorum* & *Colonia Agrippina*, quas a Romanis in illo tractu cum aliis nonnullis conditas esse, vel ipsa nomina iis indita testantur. add. Dn. Ludolph Hugo *de Stat. Region. Germ. c. 1. §. 7. & c. 5. §. 2.* Tractus enim Germaniæ qui propior Italiæ & Romanorum ditionibus erat, ille etiam citius Romanæ luxuriæ & ambitionis contagio coinquinatus est.

§. III. Trans-Rhenani autem in Germania magna, constanti odio prosequebantur suorum popularium urbes, quas ceu claustra ingenuæ libertatis aspernabantur. Mansit hic status usque ad Seculum IX. quod apparet ex silentio historicorum qui bella Germanica attigerunt, neque tamen mentionem urbis mœniis cinctæ faciunt, si pauca oppida Venedica trans Albim excipias. Qui altius cum plerisque Chronicis, Monachorum deliriis ac fabulis oppletis, progrediuntur, & urbium originem Romanis Cæsaribus adscribunt, falluntur. Conf. Dn. Coning. *eleg. Diss. de Urb. Germ.* Postquam autem circa seculum IX. & X. Germania magna Christo nomen dare inciperet, Episcopi & Apostoli Sedis Apostolicæ, deliciarum urbis Romæ & aliarum adsueti, structuram Urbium in Germania insigniter promoverunt. conf. inprimis Dn. Thomas. *Diss. de Jur. Statuum Dandæ Civit. § 9. 10. seq.* Tandem Henrici I. cognomento *Aucupis*, ex Ducibus Saxoniæ oriundi, temporibus, numerus urbium Germaniæ insigniter auctus est. Nonus enim quisque ex agris in vicina oppida commigrare jussus est, illa mœniis turribusque circumvallata sunt, ut eo melius fœdis Hunnorum in Germaniam excursionibus obex poneretur. Conring. *all. Diss.* §. 82. Lehman. *Chron. Spir. l. 5. cap. 1.* Myler. ab Ehrenb. *in Archolog. c. 17. th. 3.* Sequentibus temporibus, & præsertim sub Ottoni-

bus

bus Civitates, præcipue Saxonicæ, adhuc pinguiora privilegia accipiebant, quod Magdeburgi exemplo comprobari potest, quæ urbs utut municipalis, opima tamen jura Ottoni I. Imperatori, vi specialis privilegii fert accepta. vid. Dn. de Rhetz. *J. P. L. 1. tit. 18. §. 3.*

§. IV. Videtur igitur ab initio omnium Civitatum Germaniæ par conditio, ut scilicet eadem regiminis forma, qua Provinciæ contentæ fuerint. Suberant enim Ducibus vel Comitibus & Episcopis, hi ecclesiastica, illi civili potestate iis præfecti. Reliquæ immediate subjectæ manserunt Imperatoribus, qui per Præfectos speciales Reichs-Vögte jura ibi moderabantur, de quibus doctissimus liber Heideri von Reichs-Vogtheyen/ plenius consuli poterit. Verum ab his, post Henricorum tempora, Imperatoribus bellis Italicis distractis, paulatim ac sensim se liberarunt. Sequentes Imperatores, ad infringendos nonnullorum Ordinum altiores spiritus & potentiam, datis privilegiis effecerunt, ut nonnullæ istarum urbium, maxime potentiores, jugo Principum Secularium & Ecclesiasticorum semet subtraherent. conf. Myler. ab Ehrenb. *Archol. cap. 22.* Knipschild de *Jur. Civit. Imp. lib. 5. c. 3.* Accessit Ducum Franconiæ & Austriacæ stirpis ruina in Conradino & Friderico Austrio. Inde in libertatem semet asseruerunt pleræque Civitates in Franconia & Svevia. Quæ & causa est, cur fere in nullis aliis Circulis tot Comites, Civitates, Nobiles deprehendantur, quam in hisce duobus. Denique *Carolus IV.* qui, ob multa privilegia concessa & donata, Vitricus Imperii a Maximiliano I. cognominatus fertur, multis Civitatibus immedietatem largitus est, nec segnior in hoc puncto ejus filius *Wenceslaus*, quem etiam primum Civitates liberas ad Comitia Generalia vocasse, contendit Limnæus *J. P. lib. 7. c. 1. n. 48. & in add. tom. 1.* contra quam assertionem tamen quædam monenda sunt ex Lehmanni *Chron. Spir. lib. 4. c. 3.* & Dn. de Rhetz *Disp. de Stat. Subditur. Imp. cap. 2. n. 67.* Memorabilia prætterea sunt verba Heideri von Reichs-Vogteyen p. 54. Und haben also endlich auch die Reichs-Städte circa A. C. 1400. Durch Verdienst gegen

gegen dem H. Röm. Reich/ durch liberalität und connivenz der Käyser / durch Tausch / Kauff / Schenckungen / durch Stillschweigende langwierige Alluvion sich von den Reichs-Vogteyen und dero Beschwernissen in ihrem territorio, endlich entlediget.

§. V. Ex eo tempore istæ Urbes liberæ consveverunt vocari *Civitates Imperiales* Reichs-Städte. Nonnullæ tamen *liberæ Imperiales Civitates* audire maluerunt, inter quas an realis differentia fuerit, non convenit inter Scriptores Juris Publici. vid. Schvved. *J. P. part. Spec. Sect. 2. c. 9.* §. 1. Knipschild *de Civit. Imper. lib. 1. c. 2.* Interim non est vero absimilis Dn. Cocceji observatio *in Jurispr. Publ. c. 17. §. 7.* differentiam inter Freye-und Reichs-Städte in eo collocantis, quod olim Civitatum immediatarum reditus ad Fiscum Regium pertinuerint, ab his quasdam Civitates præscriptione vel privilegio immunes factas, in specie dictas fuisse Freye Reichs-Städte. Hodie vero per notoriam praxin cessat ista distinctio, cum omnes Civitates Imperiales jura fiscalia dudum sibi acquisiverint.

§. VI. Differunt igitur satis clare Civitates Imperiales ab illis quæ Provinciales & municipales appellantur, Germanice Land-Fürsten-oder Herren-Städte. Quatenus vero conveniant cum Civitatibus, quas nonnulli Autores *mixtas* vocant, in ambiguo est. Communiter enim faciunt scriptores inter Imperiales & municipales genus medium tertium, mixtum ab iis vocatum, quo referunt Hamburgum & alias. vid. Knipschild *de Jur. Civit. lib. 1. c. 3.* Ast rejiciunt hoc, & tales mixtas Civitates dari negant Dn. de Rhetz *de Stat. Rolandin. c. 4. n. 52. & de Stat. Imp. c. 3. n. 261.* Burgoldens. *ad Instr. P. p. 1. Disc. 21. m. 4. n. 19.* merito vero hic separat Dn. Thomas. *ad Monz. p. 136.* diversas quæstiones, concedit dari posse Civitates, quæ diverso respectu immediatæ, diverso mediatæ sint. In hypothesi vero, an hæc vel illa Civitas mixta sit, dijudicandam esse quæstionem ex certis definitionibus & applicatione facti, documentisque ex Archivo depromptis.

§. VII. Cum

§. VII. Cum Civitatibus Imperialibus non confundendæ etiam *Urbes Hanseaticæ*, quæ olim fœdere inter se implicatæ ad defendendum Commerciorum cursum. Male vero existimat Knipschild *de Civit. Imp. lib 1. c. 4. §. 13.* hoc corpus tantum constitisse partim ex Civitatibus Imperialibus, partim mixtis in Imperio. Nam multæ Civitates pure municipales huic fœderi nomen ab initio dederunt, quod tamen haud diuturnum fuit, quia in potentiores urbes & Emporia utilitas ex hoc fœdere redundavit, onere penes infirmiores manente, videatur Chytræus *in Chron. lib. 13.* ex quo, more solito, in recensione rerum germanicarum, mutato duntaxat Stilo, digressionem suam formavit Thuanus *histor. lib. 51.* Reliqua Acta fœderis Hanseatici memorabili opere congessit Jo. Angel. Werdenhagen de *Rebuspubl. Hanseatic.* scriptor qui ob multa alia opuscula, intimum ardentissimumque desiderium reformationis orbis christiani præ se ferentia, apud plerosq; male audit, in plerisq; tamen excusari potest & debet. Quæ civitates porro ad hoc fœdus Hanseaticum pertineant, passim enumerantur. vid. Knipschild *l. c.* Hodie umbra tantum hujus societatis nomenque nudum superest, & quantum divinare licet, nunquam restaurabitur, nam impingit revera in superioritatis jura cuivis Statui in suis urbibus competentia. Conf. Conring. *Diss. de Urb. Germ.* § 95. *seqv.*

§. VIII. Enumerationem ac specificationem Urbium Imperialium hic tradere superfluum erit, cum a nemine non scriptorum juris Publici hoc factum sit. Juxta *Duo Stamna*; in quod dividuntur, *Rhenanum* scilicet & *Sveviсum*, alii illas collocant cum Autore der Grund-Feste *p. 2. c. 6. p. 129.* alii, juxta seriem Alphabeti illas enumerant. vid. Bœcler *Not. Imp. lib. II. c. 5.* Privilegia vero & jura cujusque Civitatis recenset Knipschild *in suo opere de Civitatibus*, ubi citra dubium adjutus fuit Archivis & relationibus aliorum. Illud tamen hodie quo ad statum istarum Civitatum adducere non præter rem erit, quod plerarumque opes valde accisæ sint, ut tamen satis potentiæ habeant Noriberga, Augusta Vindelico-

delicorum, Colonia, Vlma, Lubeca, Francofurtum, Ratisbonna, Brema. Mediocres sunt Memminga, Eslinga, Aquisgranum, Lindavia, Goslaria, Mülhusium, Hala Svevorum. Reliquæ libertatem magis suam quam opes possunt jactare, vid. Monzamb. *cap. 2.* §. 13. qui ibidem de fatis urbium harum philosophatur politice, non moraliter & juridice.

§. IX. Sunt de cetero nonnullæ Civitates in Principum ditionibus, quarum immedietati acriter se illi opponunt. Inter primarias fere est *Hamburgum* Emporium Saxoniæ inferioris florentissimum. Prætendit enim in illud Rex Daniæ, qua Dux Holsatiæ. Bene autem auguratus est Monzambano l. c. vicinorum æmulationem tam opimum bolum Regi nunquam concessuram esse. Experientia in ultima obsidione Danica hoc abunde comprobavit, auxiliaribus copiis Brandenburgicis & Luneburgicis, civitati mox subsidio venientibus. Conf. Kulpis. *ad Monzamb. l. cap. pag.* 586. *Brema* negotium fecerunt Sveci, suspicati, quod in eorum fraudem 1641. inter liberas Imperii Civitates esset relata. Controversiæ & transactionis terminus durare debuit usque ad 1700, quo nunc elapso res quieta permansit, haud dubie, quod jam Sveci bello Polonico & Russico implicati alia habeant quæ curent in Livonia. Historiam interim de Brema vid. ad. Burgoldens. *p.* 3. *Disc.* 13. §. 3. *Brunsvviga* 1671. felicibus auspiciis armorum Serenissimi Rudolphi Augusti in ordinem redacta est. vid. Acta apud Gastelium *de Stat. Europ. p.* 1114. *Erfordiam* dudum exemit Moguntinus. Historiam controversiæ inter illos breviter exponunt Burgold. *p.* 1. *Disc.* 20. §. 19. Gastel. *de Stat. Europ. C.* 32. *n.* 69. Idem fatum *Monasterienſium* fuit ab Episcopo Monasteriensi occupatorum conf. Burgold. *l. c.* Lites inter Sereniss. Duces Brunsvvicenses & Hildesiam refert Knipschild. *de Civit. L.* 4. *cap.* 1. *num.* 28.

§. X. Civitates igitur Imperiales quæ voto & sessione in Comitiis gaudent, sunt Status Imperii. Equidem, ante Pacem Westphalicam, haud pauci votum non decisivum, sed consultivum in Comitiis iis adscribere voluerunt,

verum

verum in *Instrum. Pac. Art. VIII. §. tam in Universal.* expresse sancitum est, quod *voto Decisivo* gaudere debeant. Quod cum in dubium vocari nequeat, in modo tamen exercendi ejus voti, hæret difficultas. Collegia enim duo Superiora super negotio quodam Comitiali dissentientia invicem, tamdiu *Re-& Correlationes* instituunt, donec consensus inter ipsa desuper deprehendatur, quo animadverso res Collegio demum Civitatum ad deliberationem remittitur. Protestati sunt contra hoc Civitates, ac vota sua ita inutilia fieri, adduxerunt, quia jam duo superiora Collegia conclusum formassent, priusquam res iis innotesceret. Contra hanc protestationem, *Declaratio* edita est a duobus Collegiis superioribus. Utraque potest legi apud Autorem der Grund-Veste *p. 2. c. 6.* pluribus votum hoc decisivum Civitatibus asserit Bœcler *not. Imp L XI. c. 3.*

§. XI. Quamvis igitur Civitatense Collegium non admittatur ad Re-& Correlationem duorum superiorum Collegiorum; nihilominus tamen Conclusum Imperii non efficicitur, nisi & hoc Collegium consentiat cum duobus prioribus. vid. Dn. Coccejus *Jurispr. Publ. c. 20. n. 40.* Directorium de cetero in hoc est penes illam Civitatem Imperii ubi Comitia celebrantur. Juramentum præstant Imperatoris Commissariis, & forma pleræque Civitates utuntur Aristocratica. Habent etiam pleræque privilegia *de non appellando* ad suprema judicia, nisi ob certam summam, v. c a Senatu Hamburgensi non licet appellare, nisi summa 600. florenos transcendat. Idem privilegium Aquisgranenses & Noribergenses habent. Lubecenses eodem privilegio gaudent ad 500. florenos Rhenanos. De aliarum Civitatum summa conferantur rerum Cameralium scriptores. Adsunt & alia jura quæ eximia habent nonnullæ Civitates. *Francofurti ad Mœnum* Electio Imperatoris, Aquisgrani Coronatio ejusdem, vi Aureæ Bullæ, peragenda, *Noriberga* clinodia Imperii, Coronam Imperialem, gladium, quo Carolus M. usus fertur, pomum Imperiale, vestem Imperatoriam Dalmaticam & alia custodit. *Ulma* Archivum Collegii Civitatensis asservatur. Ratisbonnæ Comitia præsentia habentur.

§. XII. Omnia denique jura quæ superioritas territorialis

Bb Princi-

Principibus largitur, tribuenda etiam sunt Civitatibus immediatis. *Instr. Pac. Art. V. §. 29.* Kulpis. *ad Monzamb. c. 2. §. 12.* Dn. de Rhetz *J. P. lib. 2. tit. 1. §. 40.* Territorio suo constituunt Magistratus. Sunt enim nonnullæ earum quæ Comitatus integros in sua ditione numerant, uti Ulma in Svevia. Habent supremam inspectionem circa sacra & jus Consistorii. vid. Bœcler. *Not. Imp. l. 11. c. 3.* Academiam erexit Altorfi Noriberga, hoc præcipuum habens præ omnibus reliquis Civitatibus Imperialibus. Militem conscribunt, fœdera pro defensione sua ineunt. Suprematum tamen liberis Civitatibus Imperii denegat Furstnerius *p. 55. seqv.* non quod Imperio obligentur, aut quod Rectores earum ex illustri stirpe non sint; sed quod non satis in ipsarum singulis sit momenti ad summam rerum, nec copias educant, armis, fœderibus, legationibus aliquid conferant ad summam rerum Generalium Europæ. Hinc ipsi Knichenius, sublime territorii jus Civitatibus Imperialibus negans, suprematum in mente habuisse videtur. Quæ sententia suis terminis inclusa & ex statu præsenti explicata, uti penetralia prudentiæ politicæ in Jure nostro publico refert; ita eam rejicere in præsenti, nullas causas video.

§. XIII. Ratione Religionis & cultus divini qui in iis viget, in *puras* & *mixtas* distingvuntur. Illæ dicuntur in quibus una duntaxat religio viget, sive illa Catholica sit, sive Evangelica. Sic Augustæ Vindelicorum membra Senatus & alia officia publica, quo ad dimidiam partem ex Evangelicis, quo ad dimidiam alteram, ex Catholicis constant. vid. *Instrum. Pac. art. 5.* Idem in allegata Pace dispositum quo ad *Dunckelspilam, Biberacum,* & *Ravensbergum*, quod ratione dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum, inter utrique religioni addictos, æqualitas idemque numerus esse debeat. *Instr. Pac. artic. 5. §. 4.*

§. XIV. Circa præcedentiam Civitatum cum nobilibus immediatis Imperii, varie a Doctoribus solet disseri. Res autem videtur breviter ita componi posse. Civitates immediatæ sunt Status Imperii, & intuitu hujus dignitatis nobilibus, qui licet immediati sunt, Status tamen non audiunt, multo minus votum, & sessionem in Comitiis habent, præferuntur. Si ergo Consul aut alia persona totam Civitatem repræsentans concurrat cum nobili, illam huic præferendam esse existimo. Extra hunc re-

præsen-

præsentationis casum, nobili ex communi consvetudine digniorem locum relinquendum esse, genius seculi svadet.

§. XV. Sequitur *Equestris Ordo* in Germania, cujus duplex est conditio. Pars enim immediate Imperatori & Imperio subest, pars alios Status Dominos suos agnoscit. Posteriores hi dicuntur Landsassen/ qui iterum, maxime in Saxonia, distingvuntur in Schrifft-oder Cantelley-sassen/ & Amt-sassen/ qui coram Capitaneis & Præfectis forum primæ instantiæ habent, de quibus pluribus agit *pec. Dissert.* Wilh. Leyseri *quæ in Vol 2. Diss. a Dn. Fritschio collectarum* extat. De hisce autem nobis nunc non est sermo, sed de nobilibus Imperii Immediatis. Hi vocantur *liberi Imperii nobiles*, & conjunctim, *immediata & libera Imperii nobilitas*. Pro districtibus autem, in quibus prædia possident, dividuntur in classem *Franconiam, Svevicam* & *Rhenanam*. vid. Monzamb. *de Stat. Imp. c 2. §. 14. Alsatica* nobilitas, quamvis non referatur ad has tres classes, tamen immediatæ nobilitati multi ex illa accensentur. vid. Casp. a Lerch *de Ordin. Equestr. 2 53.* Hodiernus autem eorum status ex *Instrumenti Pacis Ryswicensis art. 4.* addiscendus est. Aliquando etiam hi immediati nobiles in territoriis Electorum & Statuum Imperii bona habent, quorum nomine eisdem subsunt, sed illud immedietati ipsorum non derogat, quemadmodum ita refertur *in artic. V. Instr. Pac.*

§. XVI. Origo horum nobilium eorumque immedietas, communiter arcessitur a morte Conradini ex Domo Ducali Svevo-Hohenstaufica. Cum enim hic junior Conradinus ad repetenda avita regna infessa abusurpatore, Carolo Andegavensi Duce, cum exercitu moveret in Italiam, dolo Gallorum cæsus, & 1269. Neapoli, approbante & instigante Papa Clemente, publice securi percussus est. vid. Dn. Rhetz *J. P. lib. 1. tit. 19. §. 15.* Inde integer Ducatus Sveviæ cum nobilibus, immediate Imperio incorporatus est, & quoniam ad Rhenum etiam nobiles in terris adjacentibus Ducibus Sveviæ paruissent, illi similiter immediate Imperio subjiciebantur, & omnes pedetentim ab Imperatoribus pingvibus privilegiis sunt mactati. Nec eorum qui Franconiam inhabitant alia ratio est. Defuncto enim Duce Franconiæ ultimo, cum Ducatu quoque immediate Imperio subjecti sunt. Conf. Dn. de Rhetz *l. c.* Dn. Hugo *de Stat. Germ. c. 1. §. 8.*

Ab hac sententia paululum abit Excell. Dn. Coccejus *Jurispr. Publ.c.25. §.5.* dum originem nobilium immediatorum, ex antiqua Germaniæ in partem mediatam immediatam & divisione, deducit.

§. 17. Reliqua de eorum origine, progressu & statu copiose adducta inveniuntur apud Reiner. Reineccium **von des Adels anfänglichen Herkommen**/ Casparum a Lerch de *Ordine Equestri*, Kreidemann. **von des Teutschen Adels-Stand** *Hippolythum* a **Treißbach**(quem Knipschildium esse, multorum opinio est) **Bedencken von der** Immediat - **Reichs-Ritterschafft.** Mauritium *Diss. de Nobilitate*, Nolden *de nobilitate*, aliosq;. Ceterum *Nobilitatis* vox antiquo stilo curiæ longe honorificentior existimata est quam hodie. Nam & in Curia Romana Regibus & Ducibus hic titulus sufficere existimabatur. Multa hanc in rem exempla congessit Dn. Chr. Wilh. ad Eyben *de Styl. Cur. p. 21.* Adsunt autem exempla apud Dn. Becman. *Not. Dignit. Illustr.* ubi Duces Saxoniæ & alii, literas Pii IV. Pontificis, tempore Concilii Tridentini, haud apertas Pontificio Nuntio restituerunt, vilitatem tituli celsitudini eorum haud correspondentem, causati. Unde porro titulus nobilis derivetur & aliæ prærogativæ, de illis pro'ixe videatur Dn. de Rhetz *J. P. L. 1. t. 19. §. 1 seqv.* Cæterum an hi nobiles immediati sint Status Imperii, a nonnullis operose disceptatur, quam in rem oleum & operam insumsit personatus ille Hippolythus a Treisbach **im Bedencken von der Reichs Ritterschafft/ in Schwaben/ Francken u. am Reinstrom/ Stand und** *session 1644.* ubi loca adducit, quod in nonnullis Recessibus inter Status connumerati fuerint, quod olim in Comitiis comparuerint. Quod quamvis admitti posset de illis temporibus ubi & populus ad Comitia admissus est; ita hodie constat, Nobiles voto & sessione in Comitiis non gaudere, hinc cum Status non sint, superioritas territorialis exinde dependens, iis concedi haud poterit. vid. Kulpis. *ad Monzamb. c. 2. §. 14 p. 592.* An expediat Imperii communi saluti, & in specie, rei Evangelicæ, ut nobiles pristina vota in Comitiis recuperent? non ita facile determinari potest. Existimat hoc Burgold. *p. 1. Disc. 22.* pristinaque jura aliquando illos obtenturos esse, non plane desperat. Cujus divinationem uti suo loco relinquimus, ita non videtur hæc res mo-

men-

mentum Germaniæ ſecum trahere. Nam ſi vota in Comitiis recuperarent nobiles, aut ut ſeparatum Collegium illa ederent, aut cum alio Collegio conjunctim. Prius videtur politice impoſſibile eſſe. Poſterius ſi aliquando contingeret, quid aliud quam duo aut tria vota Curiata obtinerent, quæ parum momenti conferunt.

§. XIX. Quamvis igitur nobiles, ob deficientia requiſita Status, non habeant ſuperioritatem territorialem. vid. Dn. Hugo *de Stat. Region. Germ. c.* 5. Dn. de Rhetz *4. p. lib. 1. tit. 19 §. 17. & l. 2. tit.* 1 *§ 39.* gaudent tamen exercitio multorum jurium regalium, die Landes-Obrigkeit. Recenſet illa jura pleniusque illuſtrat Johan. Limnæus *J. P. lib. 6. c. 3.* & *tom.* 2. *Addit.* & Gaſtelius *de Stat. Europ. Cap 33.* Conſiſtunt potiſſimum in eo, quod gaudeant pace religionis, & licentia mutandæ ejusdem, jure fœderum, jure Archivi, jure mittendi legatos, jure ſtatuta condendi, Judæos recipiendi, collectandi. Varias inde quæſtiones ortas decidunt Knipſchild. *de Civit. l. 1. cap. 12.* Limnæus *l. c.* Nolden. *Jur. Nobil. cap. 16.* Tam opima vero regalia jura ſunt, quæ poſſident nobiles immediati, ut Monzambano *de Stat. Imp. cap. 2. §. 14.* aſſerat, nihil ipſis deeſſe præter opes. Præterea inſigne quoque in eosdem redundat emolumentum ex Canonicatibus & beneficiis eccleſiaſticis, per quæ apud Pontificios facillimus eſt ad faſtigium Principale adſcenſus, ubi tunc familiæ incremento ſtudendi pulcherrima occaſio, videantur quæ politice, falſe tamen, annotat Monzamb. *l. c.* Quatenus habeant jus *Auſtregarum* breviter docet Limnæus *J. P. lib. 6. 336.* Nolden *de Jur. Nobil. c. 16. §. 151. ſeqv.* Loca in quibus ſedem fortunarum ſuarum conſtituerunt ſunt ſequentia: in *Svevia.* (1) An der Donaw (2) Im Hegaw/ Boden-See und Algau. (3) am Necker/ Schwartz-Wald und der Ortenau (4) am Kocher. (5) Kreichaw. In *Franconia* (1) Oden-Wald (2) Steyrwald (3) Geburg/ (4) Altmühl. (5) die Buchen (6) Röhn und Werra. Circa *Rhenum* (1) im Gaw und Wasgaw (2) Nieder-Rein-Strohm/ Hundesrück/ Eberswald (3) Wetterraw/ Westerwald / Rheingaw. Dicuntur autem Svevici & Franconici hoc habere præcipuum, quod in bello ac acie vexillum S. Georgii alternis vicibus præferant, de quo multum olim inter ipſos decertatum fuiſſe, teſtatur Limnæus *J. P. l. 6. c. 3. n. 57. & in addit. tom 4.* Verum hæc

 præro-

prærogativa, prout nunc status Imperii est, parum in recessu habet.

§. XX. Reliqui Nobiles Principibus & statibus subsunt vinculo fidei clientelaris iis obstricti. Habent vero omnes Nobiles hoc commune, quod *Equites* creari possint. Proprie enim Eques ille vocandus est, qui certo Ordini adscriptus est illiusque ordinis honoribus & beneficiis fruitur. Inter ejusmodi Equites in nostro Imperio eminent *Crucigeri, Teutonici, Mariani, Milites Domus Hospitalis in Jerusalem*, quæ sunt synonyma, notante Conringio *de fin. Imp. c. 19 §. 31.* item Equites *Ordinis Joannitici*, de quibus supra egimus *Diss. VII. §. 18. 19.* In *Hispania* celebris est *Ordo Aurei Velleris*, de quo vid. Chiffletii *Breviarum histor. inclyti Ordin. A. Vell.* 1652. & Celeb. Schurzfleischii *Diss. de hoc Ordin.* De reliquis *Alacantaræ* & *Calatravæ* videatur Dn. Becman. *notit. Dign illustr.* In *Anglia* æstimatur *Ordo Aureæ Periscelidis*, Autore *Eduardo III. Rege*, cui & multi Germaniæ Principes nomen dederunt. vid. *Autor* des Entwurffs der Geistl. und Weltlichen Ritter-Orden *p. 180.* In *Gallia* Ordo *Spiritus Sancti* a Henrico III. institutus adhuc durat. vid. historiam hujus Ordinis apud Thuanum *ad an. 1579.* & laud. Aut. des Entwurffs p. 233. qui & reliquos ordines *S. Michaelis, S. Ludovici* & alios recenset. In *Dania* Ordo *Elephantinus* flore: tem *Danebrogicus*. Ultimũ hunc peculiari Dissertatione illustravit Thomas Bartholinus. In *Suecia* antiquus Ordo est *Jesu Christi*, qui & ordo *Seraphinus* vocatur. conf. *A.* des Entwurffs *p. 178.* Portugalli delectantur Ordine S. Jacobi 60 Commendis fruente. vid. Ant. Sousa *in Lusit. liberat. p. 47.* quem allegat Pfeffing. *Vitr. illustr. p. 480.* Regiis hisce Ordinibus nunc accessit *Ordo Generositatis* a Sereniss. ac Potentiss. Borussiæ Rege FRIDERICO in solenni actu Coronationis, ad perpetuandam augustam hanc Ceremoniam, institutus felicissimis auspiciis, nec minori pompa. Cui ordini etiam adscripti sunt nonnulli Principum & Primariorum ministrorum Regiorum. De reliquis Ordinibus, qui adhuc florent, late egerunt Megiserus *in deliciis Ordinum Equestrium, Miræus, Menenius, Sansovinus*, Mendo *in Ordinibus Militaribus*, aliiq; forte nobis non cogniti aut perspecti. Nonnulli etiam cum Autoribus, aut paulo post, extincti, alii ab initio subito aucti & florentes, sive ex invidia aliorum, sive; ob luxuriam suam miserum & tragicum exitum

exitum habuerunt, uti *Ordo Templariorum* sub Philippo Pulchro Rege Galliæ & Clemente V. Papa misere extinctus. vid. Conring. *ad Lampad. Part. 3. c. 6.* qui in mitius judicium de illo inclinat.

§. XXII. Uti vero ipsi Principes, & in omni nobilitate Imperii non pauci sunt, qui insignia & jura hujus aut illius Ordinis gerunt: ita inprimis dignitates Equestres hic annectere, haud inconveniens est. conf. Bœcler *not. Imp. L. 10. c. 3.* præsertim cum favor præcipuorum Ordinum tantus sit, ut non possit non in ipsa nobilis ac Equestris præstantiæ sede æstimari. Ita vero cum insigniis hisce Equestribus comparatum est, ut nonnulli Ordines Equestres ad merum *decus Aulæ & schemata honorum*, alii *ad militares usus* accommodati deprehendantur, quod bene annotat Bœclerus *cit. loc. p. 188.* Ad ultimam hanc classem pertinet in Imperio Ordo Marianus & Joanniticus. Ob eundem finem etiam in Imperio aliquando Consultatio instituta est de certo Ordine *Equestri contra Turcas* instituendo. Cujus deliberationis vestigia deprehenduntur in *Recess. Imp de ann. 1576.* §. Ferners haben wir &c. & *Recess. Imp. d. 1663.* §. Wie wir auch ohnvergessen bleiben. Verum res isthæc postea, haud dubie ob multas remoras politicas, in herba suffocata est. conf. Limnæus *Tom. 4. addit. ad lib. 6. c. 2. n. 25.*

§. XXIII. Præterea & illud observari meretur, quod ejusmodi Ordines ab initio plerumque ex salutari intentione instituti sint, & huic intentioni conformes se aliquando gesserint, postea tamen, crescente eorum fortuna, luxui magis ac magis deditι pristinæ virtuti tandem plane valedixerint, quod facile quidem augurari, in hisce & similibus inventionibus humanis, quam prudenter & severe etiam institutis, valent illi, qui indolem & naturam generis humani intime cognitam exploratamque habent, uti hoc, ex simili fundatione Monasteriorum, vitaEremitica, aliisque remediis cultus divini electitii, nullo negotio uberius illustrari posset, si institutum pateretur.

§. XXIV. Æmulatione horum Ordinum Equestriũ, etiam nonnullæ illustres fœminæ ac Heroinæ permotæ sunt similia incitamenta honorum instituendi. Ante multa secula Anna, Dux Britanniæ Armoricæ & Caroli VIII. Regis Gallorum uxor, instituit Ordi-

Ordinem *fuccinctarum Heroinarum* den Orden der gegürteten Damen. Nulla feminarum illustrium in Ordinem hunc adoptata est, nisi vitæ & morum sanctimonia, ut & stirpis suæ nobilis antiquitate perspecta, qua de causa & Franciscanorum ritu corpus laqueo constringere tenebantur. vid. *Diss. de Cultu Heroinarum Lips. Præs. M. Jenicken hab. §. ult.* In nostro Imperio Eleonora Augusta, Ferdinandi III. Imperatoris Conjux, dux & autor, fuit Ordinis *Mancipiorum virtutis* (des Orden der Tugend Sclavinnen) Signum ordinis sol erat aureus & laute cinctus, hoc lemmate: *Sola ubiq; triumphat.* Eidem Imperatrici natales debet Ordo *Heroinarum Cruciferarum* der Orden der Creutzträgerinnen 1668. institutus ob frustulam Crucis (quam dicebant) Christi, in incendio alicujus templi illæsam conservatam. Verum uti hæc paulo ferventiorem quam par est pietatem sapiunt; ita occasione præsentis materiæ adducere non grave fuit.

§. XXV. *Torneamenta* & hastiludia olim etiam, in honorem & insigne decus Nobilitatis, in deliciis fuerunt summis Principibus. Instituerunt scilicet talia exercitia majores, ut Nobilium animi, qui inter pacis & otii delicias facile sylvescunt luxuriaque torpere solent, ad fortitudinem bellicam incitarentur, viresque ac robur usu laboreque alerent. Habebaant eum in finem certas leges honestatem morum respicientes, quas qui violaverat, ille incapax honoris in hastiludiis comparendi declarabatur. Inprimis autem tempore Henrici I. sive Aucupis hastiludiorum horum usus in Germania maxime florebat. vid. Goldastus *in Const.* ubi Statuta & privilegia Equestria recenset. Egregia etiam multa & præclara de hisce rebus complectitur Rüxneri Turnier-Buch / qui a Goldasto & aliis fere pro Authentico habetur, ab aliis vero multi errores in illo detecti sunt, conf. Jan. Dousa *Annal. Holland. lib. 8.* Dieterich *in Henrico I. th.* 12. Limnæus *J.P. lib. 6. c. 5. §. 13.*



DISSER-



DISSERTATIO X.

De

COMITIIS ET CONVENTIBUS SINGULARIBUS STATUUM.

SUMMARIA.

Facies Germaniæ ejusque status uno obtutu ex Comitiis patet. §. 1.
Comitia Procerum mox cum origine Imperii celebrata sunt. §. 2.
Imperatoris auctoritas circa Comitia Imperii. §. 3.
Diversitas Comitiorum Intimationis veteris & hodiernæ. §. 4.
Quid circa Status in Comitiis comparituris observandum sit. §. 5.
Locus ubi Comitia celebranda sint. §. 6.
Quoties Comitia sint instituenda, Principum cautio de non necessariis Comitiis superflua. §. 7.
Legitimatio Statuum vel eorum Legatorum in Comitiis comparentium. §. 8.
Ceremoniæ circa initium Comitiorum. §. 9.
Directorium Moguntini in Comitiis sede vacante, penes quem sit. §. 10.
Tria Collegia Statuum in Comitiis quando cœperint. §. 11.
Qui ad Comitia vocandi sint, ex Matricula cognoscitur. §. 12. *de defectibus Matricularum Imperii. ibid.*

§. I.



Acies rerum Imperii, tum & connexio vasti hujus Corporis, quod Imperium Romano-Germanicum appellare solemus, uno obtutu ex Comitiis eorumque indole, perspici ac explorata reddi potest. In his enim *negotia quæ totum Imperium concernunt* ponderantur ac definiuntur. Quod institutum, de rebus communibus in commune consulere, Germania a majoribus suis accepit, ad nostra usque tempora conservavit, & conservabit, (uti læti auguramur,) quamdiu summa in Christiano Orbe dignitas ac præeminentia Imperatoria sospes ac illibata in ipsa vigebit ac florebit. Equidem si Germaniam in ultimis suis originibus intueamur, prudenti hoc consultandi de rebus publicis modo non semper gavisa est; quin potius tempore florentis Reipublicæ Romanæ sub primis Cæsaribus, rari, Tacito teste, duabus tribusve Civitatibus ad propulsandum commune periculum Conventus, quare dum singuli consultabant & pugnabant, universi fere victi sunt. Hinc Romanorum votum, interprete Tacito, eo tempore fuit: *Maneat duretq; gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus Imperii* (Romani nostri) *fatis nil jam præstare fortuna magis potest, quam hostium* (Germanorum) *discordiam.*

§. II. Verum ex quo tempore Germania coaluit in unam Rempublicam ductu & auspiciis Francorum, maxime sub Carolo Magno & Successoribus, modus per suffragia Ordinum Comitialia res arduas definiendi, placuit ac retentus est. Est enim regni temperati & a dominatu abhorrentis indicium, ac cum insito Germanorum mentibus studio libertatis amice conspirans, si non temere res magna atque ardua sine Procerum consilio & adsensu suscipiatur & perficiatur, quod inprimis in Germania a Francorum Imperio usque observatum fuisse, annales vetusti perhibent.

§. III. Talis status etiam hodiernus Imperii nostri est,

 cujus

cujus propterea delineationem, quo ad Comitia aliosque conventus Principum, nunc sumus tradituri. Quo ad personas igitur hic considerandas primo loco occurrit Imperator. Hic Comitia indicit, & quidem toties, quoties exigit publica Imperii necessitas & utilitas. *Inst. Pac. art. V. §. gaudeant.* Olim dependebat ab arbitrio Imperatorum jus Comitia indicendi, verum per Capitulationes a Caroli V. temporibus Electorum *previus consensus* requisitus fuit, vid. *Capit. Leopold. art. 17. Josephi art. 16.* in quibus etiam promittit Imperator, quod ratione temporis & loci, ubi Comitia habenda, consensum eorum anquirere velit. Imperatore autem absente, Rex Romanorum si adest, Imperatoris munere in conscribendis Statibus fungitur. Exemplum fuit Caroli V. tempore in Ferdinando I. 1542. hoc suspiciente. Vacante Imperio autem, hanc potestatem Comitia indicendi penes Vicarios esse, plerique asserunt. vid. Dn. Schvveder *P. Spec. Sect. I. c. 30. §. 3.* Dn. Schilter *J. P. lib. 4. tit. 1. §. 3.* Puto interim exemplo carere hanc Vicariorum potestatem.

§. IV. Talis indictio vel significatio Comitiorum habendorum olim Statibus fiebat literis patentibus, verbis rudioribus, (pro temporum istorum simplicitate,) & in mandati modum flexis. vid. Kulpis. *ad Monzamb. p. 149.* Successu vero temporis factum est, ut Status imperiosa verba in duriorem partem interpretati sint, & 1608, vocem *Citationis ad Comitia*, ægre tulerint. A. der Grund-B. *p. 18.* Hinc hodie per literas manu exaratas, aut impressas, singulis Ordinibus insinuandas invitantur, quæ literæ concipiuntur nunc verbis blandam potius invitationem, quam imperiosam jussionem præ se ferentibus. Monzamb. *cap. 5. §. 25.* Antecedit etiam Comitia hæc indictio fere per *semestre spatium*, quo de rebus ibi tractandis deliberare possint Ordines. Aliquando etiam reiteratur vocatio aliis literis familiaribus, manu Imperatoris ad potentiores Status interdum scriptis. Schvved. l. c. Grund-B. *p. 19.*

§. V. Intimanda igitur sunt Comitia omnibus Statibus. Rex Bohemiæ autem non vocatur. Conring. *Diss. de Comit.*

Comit n.17. Status tunc comparent aut ipsi, aut per Deputatos. Citati non comparentes æque obligantur ac comparentes & consentientes expresse. R. J. d. an. 1500. & 1512. Si quis Statuum autem plures ditiones cum jure suffragii possidet, singularum nomine vocandus est, quia non tam personæ hic ratio habetur, quam suffragandi juris territoriis inhærentis. Statibus vero minorennibus eorum Tutores & & Curatores vocantur, quo jure & Matres tutrices fruuntur nomine suorum pupillorum, ceu multis exemplis hoc comprobatum est in illustr. Dn. Strykii *Diss. de Tutel. matern. Princ. c.3.* Si aliqua Domus in Lineas divisa est, uti Saxonica, Brandenburgica, Palatina & aliæ, pro numero territoriorum quibus jus suffragandi inhæret, vota in Comitiis edunt. Si vero plures pro indiviso Ducatum vel Principatum possident, nomine omnium Legatus comparet. Docet hoc subscriptio Recessuum novissimorum a Domo Saxonica Vinariensi, Anhaltina aliisque facta. Licet etiam Status Ecclesiastici nondum sint infulati atque confirmati a Pontifice, tamen in Comitiis sessione & suffragio gaudent. Imo sede vacante Capitulum per Deputatum comparet. Bertram *de Comitiis th. 35. 36.* Idem dicendum de jure Statuum Secularium, ut ut de territoriis suis nondum investiti sint ab Imperatore.

§. VI. Loci, ubi Comitia habenda sint, electio a conventione Imperatoris & Electorum pendet. Cæsar quidem noviter electus, vigore Aureæ Bullæ, prima Comitia Noribergæ habere debet, sed exinde inferri non potest, quod reliqua Comitia ibi celebranda sint. Solet autem plerumque Civitas Imperii libera eligi, & quantum patet ex historia Comitiorum, pleraque Augustæ Vindelicorum, Noribergæ & Ratisbonnæ habita sunt, commoditatis gratia tamen hoc magis fit, quam necessitatis. illustr. Dn. de Rhetz. *J. P. l. 2. tit. 14. §. 6.*

§. VII. Quoties vero & quamdiu Comitia celebranda sint, legibus publicis non expressum, quin potius in Instrumento pacis res hæc a necessitate & utilitate Imperii suspen-

spenditur. Priscis temporibus per singulos annos Comitia fuisse habita, nec ultra mensem durasse, probabile est. Grund-Veste p. 26. Hodierna Comitia ob gravitatem & multiplicitatem negotiorum, novo exemplo durarunt per multa lustra, nec spes est, illa cito finienda fore, quod e re libertatis Ordinum esse, quilibet videt. Hinc etiam miratur Autor der Grund-Veste p. 30. cur Electores in Capitulationibus sibi caverint, mit den Reichs-Tägen unnothdurfftiglich nicht beladen zu werden / cum tamen Imperatores post Carolum V. (maxime Ferdinandus II.) non ita faciles fuerint cum Comitiis, uti Maximilianus I. & tandem prudens ac hisce temporibus inprimis aptum monitum annectit: Hat fast eine Beschaffenheit / wie mit der Evangelischen Lehre von **guten Wercken** / womit D. Luther zu seiner Zeit bey dem gemeinen Volck viel zuthun hatte / damit er ihnen den eingebildeten Verdienst derselben aus dem Sinne bringen möchte. Wenn er aber itzund wieder aufferstehen / und / wie fast niemand einiges guten Werckes GOTT zu Lob sich befleisse / sehen solte / würde er sonder Zweiffel seine Predigten dißfals anders einrichten &c.

§. VIII. Statibus itaque in Comitiis comparentibus, prima cura incumbit ipsis, vel eorum Legatis, ut hi prævia literarum credentialium oblatione, Imperatorem, si ipse præsens est, vel ejus Commissarium visitent. Ceremonias in hac visitatione observatas intuitu Electoralium & aliorum legatorum pluribus tradit A. der Grund-Veste p. 1. c. 6. pag. 49. Vice-Mareschallus Imperii autem certior factus de adventu legatorum, jus assignandi Legatis hospitia habet. Præterea Deputatis ad Comitia incumbit, ut coram Directorio Moguntino per literas credentiales se habilitent. Acriter autem disceptatum est in modernis Comitiis, *an Legati Principum in persona Directori Moguntino, præstita simul visitatione, Mandata exhibere teneantur*? Lis autem tandem ita sopita est, ut Legatorum Principalium Secretarii in ædes Directoriales legitimationes mitterent, ubi Director Moguntinus per suum Secretarium illas accipit, addita tamen protestatione, de in-

de inposterum non præjudicando. Alias etiam usu hodie invaluit, ut legati serius advenientes primam salutationem accipiant ab illis qui jam præsentes sunt, eum in finem solet per ministros suos certiores facere præsentes de suo adventu. Verum in Comitiis graves exortæ sunt lites & æmulationes ratione Ceremoniarum, quas æquales Electoralibus prætendunt Principales. Rationes inutramque partem possunt videri ap. Kulpis. *de Legat. Stat. Imp. c 13.* Justinum Præsbeutam *Discurs. de Jur. Legat.* Differt. nostram *de Jure Ceremoniali Legator.*

§. IX. Hisce peractis, cum Imperatori vel ejus Commissariis placet Comitiales deliberationes ordiri, Vice Mareschallo mandat, ut horam audiendæ propositioni Cæsareæ destinatam Statibus denuntiet. Stato tempore igitur in Cæsaris Palatio vel Curia comparent, eundem in Ecclesiam comitantur, quo a votis & precibus pro felici Consiliorum successu, initium rite capiatur. Cum porro ad locum pervenerunt ubi Propositio Cæsarea edenda est, Imperator vel ejus Commissarius thronum ascendit, Electores vel eorum Legati uno gradu depressiores circumsident, reliqua subsellia, in longitudinem Curiæ porrecta, & sedibus Electorum uno gradu inferiora, occupant Principes Ecclesiastici & Seculares. Civitatum Imperialium Legati vero extra limites horum Collegiorum (ausser den Schrancken / womit solcher Kayser-Chur- und Fürstliche Conseß umbgeben) consistunt. Grund-Vest. *p. 2. c. 2.* Tum gratiarum Actio nomine Imperatoris ad Status Imperii ob comparitionem frequentem dirigitur, & tandem Cæsarea Propositio comprehensa scripto per Secretarium Imperialem prælegitur. Propositionem præsentium Comitiorum 1663. 20. Jan. prælectam exhibet Schvveder. *P. Spec. S. 1. cap. 19.* Quo peracto Status surgunt, & tria peculiaria Collegia constituunt, ubi in Collegio *Electorali* a Moguntino, in Collegio *Principum* ab Austriacis vel Salisburgensis alternatim, in Collegio *Civitatum* Urbs Imperii ubi Comitia sunt, vota & suffragia super responsione exquiruntur. Quoniam vero hæc responsio utpote generalis nulla gravi deliberatione indiget, hinc citra longas moras Moguntinus

tinus, nomine Statuum, sive ipse, sive per Cancellarium suum respondet gratias Cæsarii agendo, simulque promittendo nomine communi, quod super punctis propositis prompte sint deliberaturi.

§. X. Post hæc solennia incipiunt deliberationes. Has Ordinibus ad jussum Cancellariæ Moguntinensis Vice-Mareschallus de Papenheim indicit per separatas schedulas. Quia vero hodierna Comitia per multa lustra durarunt, contigit sæpius, ut Elector Moguntinus mortuus fuerit, ubi tunc disceptatum est, *penes quem Sede vacante Directorium interim sit*? Capitulum Cathedrale misso Legato hoc aliquoties sibi vindicare voluit, sed acriter contradixere Electores Ecclesiastici Trevirensis & Coloniensis, quibus se adjunxit Elector Saxoniæ. Ex hisce igitur tribus quilibet sibi unice vindicat hoc Directorum sede Moguntina vacante, unde factum est, ut omnes tres Electores simul indicaverint Statibus materiam deliberandi & alia ad Directorium pertinentia. Moguntinus itidem Legatus nomine Capituli idem fecit. vid. Aut. des Discurses von gegenwärtigen Reichs-Tag zu Regenspurg ap. Schilt *in Append. Inst. Jur. Publ. tom. 2.*

§. XI. Ordines igitur deliberaturi in tria separata discedunt Conclavia pro triplici Collegiorum numero. Quando primitus hæc divisio inter Status cœperit, non ita liquide constat. Imperante Friderico III. circa ann. Christ. 1485. Collegia peculiaria formari cœpisse, asserit Lehmannus *Chron. Spir. lib. 7. c. 120.* conf. tamen Bœcler. *Notit. Imp. lib. 21. c. 1.* Autor der Grund-Veste *part. 3.* inter defectus Comitiorum numerat hanc separationem in deliberationibus, contra quem regerit nonnulla Bœcler l. c. p. 268. quæ an sufficientia sint, aliis dijudicandum relinquitur. Moguntinus directorium in Collegio suo habet, quod in proponendo ac referendo consistit. Absentium Legati præsentibus Electoribus cedunt, licet eorum Domini, si adessent, illos præcederent. Placuit de hoc disponere Electoribus in Decreto Ratisbonnensi d. 1653. quod exhibet Grund-Veste *p. 2. cap. 4.* Collegium Principum autem consistit ex tribus Scamnis *Ecclesiastico, seculari*

lari & *transverso* in quo Prælati Protestantes consident. vid. *Instr. P. art. 5. §. 6.* ArchiDuces Austriæ, Duces Burgundiæ etiam sedem occupant in Ecclesiastico Scamno. Directorium vero in hoc Collegio per vices est jam penes Austriacos, jam penes Salzburgicum Archi-Episcopum.

§. XII. Qui autem Status proprie ad Comitia vocandi sint, ex Matricula Imperiali perspici deberet. Dolendum vero, quod multis seculis illius confectio neglecta fuerit præter optimarum & prudentiorum Rerumpublicarum morem, judice Pacifico a Lapid. *ad Monzamb. Diss. 7. §. 4.* Interim non temere antiquiorem matriculam invenies quam quæ Noribergæ 1431. jussu Imperatoris Sigismundi confecta est, conf. Conring. *Diss. de Civib. Imper. th. 46.* & *Diss. de Comit. Imp. Germ. th. 10.* Hanc exceperunt aliæ, quæ videri possunt apud Limnæum *J. P. lib. 1. c. 7. n. 68.* In tanta igitur Matricularum copia nulla reperitur quæ perfecta sit. In una multi Status recensentur, qui in altera omittuntur, in nonnullis Civitates mediatæ Statibus annumerantur. vid. Conring. *alleg. Diss. de Civib. Imper. th. 49.* Præ omnibus interim matriculis accuratissima habetur, quæ 1521. in Comitiis Vormatiensibus elaborata est & edita. Nihilominus non omni ex parte absoluta est. Nam in Comitiis 1543 Ordines prolixum Cæsari Catalogum exhibuerunt, quos eximendos Imperii matricula pro se quisque credebat. Conf. Limnæus *J. P. lib. 1. c. 7. n. 73.* Inde in Comitiis 1570 denuo cura reassumta perficiendæ novæ matriculæ. vid. Conring. *laud. Diss.* Denique in *Instrumento Pac. Cæsareo-Svec. art. 8. §. habeantur,* diserte cautum est, ut Matricula renovetur, & Status inique exempti reducantur. Sunt autem *Exempti* illi, qui per errorem pro immediatis crediti in Comitiis comparuerunt, sed quibus postea Domini territorii litem super mediatate moverunt. Talium eximentium & exemptorum der Auszi̇ehenden und Ausgezogenen prolixum Catalogum omnes Publicistæ, speciatim Limnæus *tom. I. addit. ad lib. 1.*

lib. 1. cap. 7. n. 73. Franc. Jren *ad Burgold. p. 3. disc.* 8. *pag.* 102. exhibent.

§. XIII. Illi igitur qui bona immediata habent, & actu fruuntur jure voti ac sessionis in Comitiis, in uno ex supra recensitis Collegiis suffragia edunt. Hinc porro in hac materia hæc bene a se invicem distingvenda sunt. Aliud est *placitum* sive *Conclusum Imperii*, aliud *Recessus Imperii*. Placitum Imperii Reichs-Bedencken, oder Reichs-Gutachten, est, quod ad deliberandum alteri parti exhibetur. Si omnia tria Collegia super illa re conveniant Imperatori exhibetur. Si vero Collegium Principale a Collegio Electorali dissentiat, res per re- & Correlationem, quam vocant, tamdiu controvertitur, donec vel commune conclusum eliciatur, vel nulla spes conciliationis inter duo suprema Collegia sit. Utroque Casu Civitates Imperiales per Secretarium Cancellariæ Moguntinensis vocantur in den Re- und Correlations-Saal, ibi comparentes stando majorum Collegiorum conclusa, inque quibus Electores & Principes consentiunt vel dissentiunt, percipiunt. Mox & ipsæ conclusum suum per Directorium suum exponunt, ut pateat, an dissentiant nec ne. vid. Hagemeier *de Comit. cap.* 7. Dn. Schwed. *J P. part. Spec. Sect. I. c.* 30. §. 17. Kulpis. Diss. *de Placito Ordin. Imp.*

§. XIV. Hæc Statuum concors sive discors sententia, in Conclusum Comitiale, communiter Reichs-Gutachten, per Moguntinum redacta, Cæsari offertur, hujus responso autem discrepante a Concluso Statuum, res inter Cæsarem ac Status replicando, duplicando &c. tamdiu disceptatur, donec alterutra pars in alterius sententiam concedat. Hinc vulgo invaluit, Cæsarem habere in Comitiis *semissem potestatis*, Schütz *J. P. Vol. I. Disp.* 10. *th.* 15. D. Lampad. *p.* 3. *c.* 8. §. 13. Verum hoc cum grano salis accipiendum esse monet Bœcler. *Not. Imp. L.* 21. *p.* 263. conf. etiam Hermes. *fascic J. P. c.* 36. §. 79. & Hippol. a Lapid. *de Rat. Stat. p. I. c.* 4. *Sect. II.* 3, 4, 5. Nam si Electorum *sextans* semissi Imperatoris accederet, irritum fieret reliquorum Statuum jus. Hinc

Hinc otiosum inventum est ista votorum ponderatio. Quis enim Statui uni v. gr. in negotio religionis, tribueret Comitiorum semissem, ideo quod sine ejus consensu nil queat concludi? conf. Dn. Tit. *Spec. J. P. pag. 509.* Si vero inter Cæsarem & Status plane convenire non possit, tunc Imperatoris sententiam prævalere, eamque Ordinibus legem constituere, nonnullis placet. Alii vicissim Ordinibus vim decreti Comitialis adscribunt. vid. Maurit. *de Recess. Imp. th. 10.* Nullam vero harum sententiarum conspirare cum indole & forma Imperii nostri, Schvvederus l. c. haud improbabiliter asserit. conf. Furstener. *de Suprematu c. 40. sequ.*

§. XV. Igitur deliberandi modus Comitialis consistit in expositione & collectione votorum. Quod si itaque in singulis Collegiis unanimi consensu concludi nequeat, *majora* valent. Exceptio tamen est (1) in causa religionis, sive hæc directe, sive indirecte fiat. *Instr. Pac. art. 5.* §. 19. Nam Catholico-Romanis & Augustanæ Confessioni addictis in duas partes euntibus, sola amicabilis compositio lites dirimere debet. (2) majora non concludunt in causis *Collectarum* aut (3) in qua Status ut unum corpus considerari nequeunt. Grund-Vest *p. 2. c. 5. p. 3. c. 7.* Kulpis. *ad Monzamb. cap. 5. § 26.* reliqui casus, in quibus juxta Limnæum *J. P. l. 9. c. 1. n. 176.* & Bertramum *de Comitiis* §. 13. non valent majora, huc referri possunt.

§. XVI. Effectus harum Comitialium deliberationum est, ut Cæsare & Ordinibus consentientibus in plerisque Capitibus ad deliberandum propositis, decreta illa particularia a Moguntino in conceptum alicujus Recessus redigantur; quod in Conclavi Electorum Cæsareis Commissariis & nonnullis Statuum Deputatis præsentibus, prælegitur, examinatur, & si ita visum fuerit, corrigitur. Grund-Vest *p. 2. c. 10.* Conf. Limnæus *J. P. tom. 4. lib. 9. c. 1. n. 195.* Omnibus hisce rite ordinatis Recessus formam authenticam accipit, cujusque duo exemplaria pergameno inscribuntur, quibus Imperator

ac Status nomina sigillaque apponunt. Grundt. l. c. Limnæus l. c. Patent hæc omnia plenius ex §. ultimo novissimi Recessus Imp. de 1654. Sequitur dein publicatio. Imperator enim vel Commissarius ejus omnes Status denuo in Curia convocatos, paucis repetendo conclusa, adhortatur, ut singula Recessus per dictaturam Directorii Moguntini communicanda capita sancte servent. vid. Dn. Schwed. l. c §. 20. Originale unum publicati Recessus in Cancellaria Imperatoris Reichs-Hoff-Canzelley; alterum in Cancellaria Moguntina asservatur. Obligat autem regulariter talis Recessus omnes Electores & Status Imperii propter Conventionem. Interdum tamen aliqui, uti Elector & Domus Saxoniæ & alii Electores & Status justo tempore protestari solent, ne præjudicio sit juribus in suo territorio receptis & statutis jam ante approbatis. Unde cum in novissimo Recessu Imp. de 1654. nova Processus forma præscriberetur, quæ in multis cum jure Saxonico non conveniebat, Domus Saxonicæ protestatione sibi caverunt, ne inde præjudicium suo juri crearetur. conf. Frid. Hornius *Polit. lib. 2. c. 7. §. 5.* Reliqua de Recessibus supra Diss. II. jam exposita sunt.

§. XVII. Talis est indoles modus & forma Comitiorum Germaniæ. Ceterum a tempore initii Comitiorum præsentium, nostrum Imperium etiam hic mutationem passa est. Præsentia enim Comitia durarunt per tam longum tempus, uti nulla alia ante ipsa, ut adeo præsagiant haud pauci rerum patriarum periti, illa perpetua fore. An autem ex usu Germaniæ hoc futurum sit? quæstio est quæ ex politica dependet, & hinc merito decisio illis relinquenda est quos propius hæc res attinet, quique causas graves, privatis tamen sæpius ignotas & ad explorantium inaccessas, perspectas habent. Interim omnino videtur Status præsentium temporum perpetua Comitia urgere. Inciderunt enim illa tempora, quæ non potuerunt non Statuum vel eorum Legatorum præsentiam efflagitare. Constat enim quod res & negotia

gotia politica Germaniæ requirant promptam resolutionem executionemque. Subito sæpius inciderunt, & infuturum incidere possunt, quæ Comitiali decreto sine mora expedienda sunt. Ubi multum temporis inutiliter teritur, si Status de novo ad Comitia sint convocandi, quippe qui haud sine magnis ambagibus ac difficultatibus congregari queunt. Objicitur quidem a nonnullis sumptuum magnitudo quæ impendenda sit in ejusmodi solennem comparitionem, verum non minores sumtus requiruntur, si impensæ itineris sæpius recurrant, si discessus parandus & alia. Accedit, quod plerique Status per Legatos ibi compareant, quæ legationes licet satis sumtuosæ sint, non tamen tot impensas requirunt, quam si ipsi Principales adessent. Hinc concludimus hanc rem effato magni politici cujusdam apud Tacitum: Habet aliquid ex iniquo (incommodo) omne magnum exemplum, quod tamen utilitate publica postea largissime rependitur.

§. XVIII. Cæterum hæc obtinent si ordinario modo in Comitiis negotia deliberationi subjiciantur. Quia vero interdum nimis difficile & tædiosum est omnia negotia ita decidere, solent certis deputatis ex tribus Collegiis, ex pari numero Catholicorum & Protestantium constantibus res committi, etiam ipsis durantibus Comitiis. Vocantur istæ extraordinariæ Deputationes Comitiales, de quibus plene egit von Heerden in der Grund V. *p. 2. c. 7.* ubi nonnulla gravia negotia tali ratione feliciter & compendiose decisa memorat. Sic etiam interdum placuit audire Legatos exteros ad Comitia missos coram hisce Deputatis, quanquam, teste eodem Autore, haud pauci crediderint, magis ex dignitate Ordinum & e majestate Imperii fore, si Legati illi in pleno Consessu Imperii audirentur.

§. XIX. Denique Comitia Imperii non raro sequi solent Diætæ Deputationum Gemeine Reichs-Deputations-Täge, Ordinari-Reichs-Deputations-Convent. Initio quidem

Deputationes, Institutæ primitus decreto Augustano 1555. spectabant unice ad defensionem Imperii & propulsionem periculi cui Circuli non erant pares, postea tamen usu introductum est, ut etiam de aliis negotiis Deputationes fiant. v. E. F. von Hœrden *l. c. p. 3. cap. 6.* Sunt hæ Deputationes quasi Epitome Comitiorum universalium. conf. Dn. Fritsch. Diss. *de Convent. Deputat.* & possunt cum eodem definiri, quod sint conventus Imperii particulares ab Electore Moguntino Francofurti vel alibi indicti, in quibus Commissarii Cæsarei, Electores & Deputati Ordines Imperii, ut de certis negotiis salutem Imperii cumprimis concernentibus deliberent, conveniunt.

§. XX. Quot Principes & Status inter ordinarios Deputatos recensiti sint, definire non licet, cum hic sæpius in numero variatum sit. In Recessibus Imp. novissim. Ordinarii Deputati juxta lineas familiarum denominati sunt, verum hoc controversiam aluit in Domo Saxonica, inter lineam Altenburgensem & Vinariensem, in Domo Megapolitana, Schvverinensem & Gustraviensem. Conf. Grund V. *p. 3. c. 6.* In *Instrum. Pac. Art.* 5. §. 18. sancitum est, ut in Conventibus Deputatorum Imperii Ordinarius numerus ex utriusque religionis Proceribus æquetur, de personis autem vel Statibus Imperii adjungendis in Comitiis proximis statueretur. Hodie igitur Ordinarii sunt Deputati, præter Imperatoris Commissarios & Electores, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Episcopus Würzburgensis, Constantiensis, Monasteriensis, Dux Bavariæ, Dux Saxo-Altenburgensis, cui tamen contradixit Saxo-Vinariensis Linea. vid. Grund V. *p. 3. c. 6.* Fritsch. *c. Diss. c. 3.* §. 7. Marchio Brandenburgicus Culmbacensis, Dux Brunsvvicensis in Wolffenbüttel, Dux Pomeraniæ, Dux Megapolitanus in Schvverin, Wurtenbergicus, Landgravius Hassiæ, Prælatus Weingartensis, Comes de Fürstenberg, Comites Wetteraviæ, & ex Civitatum Collegio, Colonia, Aquisgranum, Noriberga, Argento-

gentoratum, Ratisbonna, Uberlinga. vid. Dn. Schvveder. *J. P. P. Spec. Sect. I. c. 31. §. 2.*

§. XXI. Quando igitur Ordinarii Deputati inter se convenerunt, (quorum modum deliberandi describit Dn. Schvveder. l. c.) eodem modo conclusum in Recessus formam redigitur, uti de reliquis Recessibus traditum est, prælegitur illud in pleno consessu & in formam certam redactum ac deinde subscriptum subsignatur & publicatur, diciturque *Recessus Deputationum*. Talis est Recessus de an. 1600. Horum Recessuum eadem est autoritas quam Recessuum Imperii, cum illi Deputati non suo sed totius Imperii nomine convenerint. conf. ill. Dn. de Rhetz. *J. P. lib. 2. tit. 14.*

§. XXII. Interdum etiam in Comitiis extraordinariæ Deputationes placent, quæ fieri solent ex omnibus tribus Collegiis Statuum Imperii, quando nempe ob ingravescentia negotia in pleno causæ non possunt decidi, sed coram Deputatis ventilari debent. Quo referuntur *Deputati extraordinarii supplicationum*, qui revidere solent tales literas, & inde ad plenum referre. De quibus omnibus fusius consuli potest A. der Grund D. *p. 2. c. 7.* Dn. de Rhetz *J. P. lib. 2. tit. 20. §. 25. seqq.*

§. XXIII. Præter hos modos in Comitiis universalibus eorumque Deputationibus deliberandi, sunt alii conventus Electorum Principumque, ubi non minus de salute Imperii & negotiis hanc spectantibus consultationes graves instituuntur. Eminent vero inter hosce conventus Diætæ Electorales, quas Churfürsten-Täge appellant vulgo. Hoc jus unanimiter consultandi non demum Caroli IV. tempore in A. Bulla quæsitum est Electoribus, sed jam ante illo jure gavisos esse, satis clare patet ex *cap. 12. A. Bulla.* Sunt vero hæ Diætæ Electorales duplicis generis. Nam Electores conveniunt vel ex persvasione monituque Cæsaris; vel ta-
les:

les conventus instituant proprio motu consilioque. Priori modo auspiciis Caesareis per Moguntinum indicuntur; hic autem non ita frequens, est quam posterior modus, ubi Electores a Moguntino, praevio exploratoque eorum consensu, convocati conveniunt & de salute Germaniae suffragia sua edunt, conf. Rachel. *Diss. de Diatis Electoralibus.* Citra consensum Imperatorium tales conventus institui posse, hodie extra dubium est, illi tamen hallucinantur, qui existimant, Carolum IV. permisisse Electoribus quotannis convenire inscio Imperatore. Contrarium potius evincunt cap. 12. A. Bullae verba: *Per nos & eosdem Principes celebretur,* Rachel. l. c. Rex Bohemiae etiam olim vi A. Bullae hisce intererat deliberationibus Electoralibus. Verum hodie non solum hisce, sed & a reliquis juribus conficiendi Capitulationem, comparendi in Comitiis universalibus aliisque est exclusus. Neque circulo alicui includitur, neque onera Imperii fert, ejusque legibus adstricta est Bohemia, Vid. Diss. Leyseri *de Electoratu Bohemiae.* Interim si in tali conventu Electorali forsan de Romanorum Rege eligendo consultatio fieret, Bohemiae Rex, salvo suo jure, non posset separari ab hoc conventu.

§. XXIV. An autem in persona comparere teneantur Electores? hodiernus usus, a legibus in hisce ceremonialibus saepius divortium faciens, optime demonstrat. Quamvis enim in A. Bulla personalis Electorum praesentia exigatur, attamen *fraterna Unio Electoralis* 1521, inter ipsos renovata §. 9. & 17. & usus, optimus rerum Magister, legatos quoque admittit, juxta quem tempus, locus & reliqua arbitraria hodie sunt. Graviori disceptione autem opus videtur, si causas conventus hujus perscrutemur. A. Bulla *c. 12.* §. 1. illas generalibus complectitur verbis; *ad tractandum de ipsius Imperii orbisque salute.* In der Churfürstl. Brüderl. Verein

ein 1521. §. 1. causa exprimitur Nutz und Nothdurfft des Heil. Röm. Reichs / §. 16. von obliegenden Nothdurfften des Röm. Reichs. In Capitulationibus autem causa horum Conventuum Electoralium assignatur: zu delibiriren von ihrer und des Heil. Röm. Reichs Nothdurfft / auch so Sie beschwerlich obliegen haben / dasselbe zu bedencken und zu berathschlagen. Nimirum facile ex hisce patet, negotia proprie hic trutinæ & consultationibus subjici, quæ dignitatem, prærogativas, jura Collegii Electoralis concernunt. Negotia autem quæ ipsum Imperium in genere afficiunt, non hic, sed in Comitiis universalibus expedienda sunt. Quot conventus Electorales sint habiti, & ex quibus causis, politice satis inquirit Rachelius laudata Dissert. quæ extat in Dn. Fritsch. novo volum. Exercitat. Jur. Publ. n. 7. Celeber. Dn. Thulemarius *de Electoribus S. R. Imp. cap. 19. n. 26.* addit, novissimam Diætam Electoralem fuisse 1673. Mulhusii.


§. XXV. Succedunt Conventus Principum Fürsten-Täge / quando nimirum vel Ecclesiastici & Seculares Principes simul, aut seorsim, Catholici & Protestantes invicem aut separatim quilibet, de utilitatibus suis deliberaturi, congrediuntur. Tales Conventus superiori seculo Lipsiæ, Numburgi, Torgaviæ celebrati sunt. Non citra gravem causam autem hi institui solent, uti exempla superiorum temporum abunde docent. Sic Bellum tricennarium tales conventus præcesserunt. Nuperrime etiam Norибergæ Conventus Principum institutus est ob notissimam illam causam noni novique Electoratus.

§. XXVI. Comites Imperii, pro ea qua pollent libertate, Conventus instituere posse, nullum est dubium, cum tot exempla hoc demonstrent. Vocantur Grafen-Tåge. Edidit Dn. Fritschius Discursum peculiarem de *Conventibus Comitum*, qui hic conferri meretur, cum docte ex monumentis vetustis illustraverit hanc materiam. *Civitatibus Imperialibus* æque ut reliquis Statibus libere Conventus inter se instituere licet Conf. *Capit. Leopold. art. 6.* Scilicet conveniunt omnes Civitates, si de rebus ac causis communibus ad totum Collegium Civitatum spectantibus, deliberatio instituenda est. Particulares vero Conventus Civitatum dispescuntur in Circulares; Duodecim Deputatorum, & Convocantium der ausschreibenden Stådte. *Circulares* sunt, ubi unius circuli Civitates duntaxat Conventum celebrant. *Deputatorum* Conventus sunt, ubi illæ tantum Civitates, quæ ex reliquis omnibus ad hoc specialiter sunt deputatæ, vel earum legati conveniunt. Convocantium Civitatum Conventus denique vocantur, si *Argentoratum, Noriberga, Francofurtum & Vlma*, penes quas jus convocandi est, ausschreibende Stådte / per legatos conveniant, de aliqua re

re Collegium Civitatum omnium vel nonnullarum concernente, deliberaturæ; Conf. Dn. Schvved. *J. P. Part. Spec. Sect. I. c. 31. §. 12.* Limn. *J. P. lib. 7. c. 11. §. 55.* Schutz. *J. P. Vol. 1. Diss. 8. th. 23.* Ceterum tales conventus Civitatum antiquissimos esse comprobat Lehman. *Chron. Spir. lib. 7 c. 66.* Conf. etiam Schütz *J. P. Vol. 1. Diss. VIII th. 25.*

§. XXVII. Immediata Imperii nobilitas licet Statibus accenseri hodie non possit cum jure suffragii & sessionis in Comitiis destituatur; attamen inter alia eximia & præcipua jura fruitur etiam potestate, *Diætas Equestres* Ritter-Tage instituendi, ibique citra veniæ petitionem deliberandi de utilitate & salute Ordinis Equestris. Hoc jus quidem aliquando Nobilitati dubium & controversum redditum est a Principibus, ceu ex gravaminibus eorum Imperatori ac Statibus Noribergæ 1523. exhibitis constat, vid. Limnæus ad Otton. c. 13 p 494. attamen salvum retinuerunt hoc suum jus, dum ad observantiam plus quam ducentorum annorum provocarunt, quod etiam postea iis expresse est a Rudolpho II. 1609. confirmatum, vid. Nolden de *Stat. Nobil. c. 17.*

§. XXVIII. Conventus Circulares supersunt, qui in hanc classem merito veniunt; Verum quia Dissertatione sequenti de Circulis plenius agere animus est, simul occasio erit, etiam Circulares Conventus adducendi ac illustrandi.



DISSER-



DISSERTATIO XI.

De

CIRCULIS ET IUDICIIS PUBLICIS IMPERII.

SUMMARIA.

Circulorum Germaniæ hodiernorum origo Maximiliano I. adscribenda, Thuani *lapsus circa annum institutionis.* §. 1.
Regiones Germaniæ quæ nulli Circulo includuntur, de Circulo Bohemico & Borussico. §. 2.
Maximiliani I. divisio Circulorum ad regulas Politices expenditur. §. 3.
Augmentum & decrementum circulorum, & membra nonnullorum circulorum dubia. §. 4.
Rejicitur assertio: Status sunt qui Circulo includuntur. §. 5.
Regimen ac Politia Circulorum quâ in re consistat. §. 6. *liis de Directoriis nonnullorum Circulorum ibid.*
Officium Ducis Circuli des Creyß-Obristen. §. 7.
Officium reliquorum officialium Circuli. §. 8.
De Conventibus Circularibus Creyß-Tägen. §. 9. *quid Correspondirende* Creyße *ibid.*
De negotiis horum Conventuum & executione Circulorum. §. 10. *lites super causa Mecklenburgica in Saxoniæ Inferioris Circulo. ibid.*
Defectus Circulorum & quid hodie emendari desideretur. §. 11.
De perpetuo Milite, *in Circulis maxime Gallo vicinis, alendo,* §. 12.
Appendix Circulorum Quaterniones, *hæ tanquam Monachorum Inventum rejiciuntur.* §. 13.

Alterum rubrica Caput, Judicia Imperii summa. §. 14.
Forum Imperatoris coram Comite Palatino ad Rhenum quare rarissimum sit. §. 15.
Forum Principum Austregarium. §. 16. *brevis delineatio Austregarum.* §. 17.
Nonnullorum Principum electio fori. §. 18.
Qualis modus Procedendi in controversiis antiquitus in Germania observatus fuerit. § 19.
Camera jurisdictionem suam ab Imperatore & Imperio simul habet. §. 20. *inutiles abstractiones Publicistarum hic rejiciuntur:* ibid.
Persona judicium Camerale constituentes. §. 21. *Defectus hujus Judicii.* ibid.
Judicii Aulici Viennensis renovatio, incrementum & hodiernus status. §. 22.
Querela Protestantium ob non aut difficulter admissos Consiliarios Evangelicos. §. 23.
Defectus Judicii hujus Monzambano ingenue detexit. §. 24.
Causa matrimoniales Principum ad nullum Judicium Imperii pertinent. § 25.
Quatenus Causa Criminales Principes attingere possint. §. 26. *Ostenditur pœnam Banni nil detrahere Principum summa praeminentia.* ibid.
Princeps Germania delinquens qua homo, nullum Judicem agnoscit in his terris. §. 27.
Etiam in Bannum declarati Principis persona sancta est. Philosophia Furstenerii hoc passu laudatur. §. 28.
Exemplum Caroli V. Imp. Joannem Fridericum Electorem Saxonia capitis damnantis expenditur ad regulas prudentia. §. 29.

§. I. Ad

§. I.



D modum regiminis illius corporis, quod Imperium Romano-Germanicum salutatur, spectat maxime distributio ejusdem in Circulos. Possunt hi vocari *Magnæ Regiones ex diversarum vicinarum Provinciarum conjunctione constitutæ, sub se plures Status comprehendentes.* Voco *magnas Regiones*. Nam non placuit Grotium imitari, qui *lib. 7. hist. p. 344. decem Pagos* appellat, nescio qua purioris latinitatis affectatione. Nolo tamen ipsi propterea dicam scribere, quod faciunt alias ejus Commentatores propterea, quod Parabolas *Christi Fabulas Novi Testamenti*, ex eodem purioris latinitatis amore, appellaverit. Occasione *Regimenti* Circulos institutos fuisse asserit Bœcler *Not. Imp. lib. 3. cap. 1.* alii vero cum Dn. Coccejo *Jur. Publ. c. 4. p. 9.* altius rem repetunt. Autor hujus distributionis & divisionis Imperii, prout hodie est, deprehenditur esse Maximilianus I. qui An. 1500. ex Statuum approbatione Augustæ Vindelicorum primum constituit *sex* Circulos. vid. Limnæus *J. P.* & *in addit. tom. 2. ad lib. c. 7.* Idem vero non multo post, anno scilicet 1512. IV. adjecit. Hinc lapsus hic est Thuanus, quando *lib. 1. hist.* annum 1522. substituit, qui non est error typographicus, uti putat, vel eum excusat Vitriarius *Inst. J. P. l. 2. tit. 6.* Nam ad hunc 1522. annum historia illa relata est a Thuano. Omnes hi Circuli vocantur, *Saxonicus superior & inferior Franconico, Rhenanus superior & inferior, Svevicus, Austriacus, Westphalicus, Burgundicus, Bavaricus.* Uti autem Circulorum invicem nulla est præferentia ac prærogativa, sed omnes pari censu veniunt; ita etiam hic pro lubitu sunt dispositi ac enumerati. Nam in ipsis Recessibus horum Circulorum ordo diversus est, nec nullæ quæstiones de præcedentia sunt enatæ. conf. Limn. *l. c.*

§. II. Esse tamen regiones & provincias ad Imperium licet spectantes, quæ tamen nullo Circulo includuntur, manifestum est. Sic Comitatus Mompelgardensis nullo Circulo comprehenditur, & tamen Duces Wurtenbergici ejus intuitu, tanquam Comites Principum dignitate fulgentes, votum & sessionem in Comitiis Imperialibus habent. Bohemia etiam citra dubium feudum Imperii est & ejus Rex simul Elector Imperii audit. vid. A. B. *tit. 8.9.* Constit. Caroli IV. apud Goldast. *Tom. I. Const. Imp f. 343.* Conring. *de fin. Imp. c. 29.* Nihilominus Bohemia nullo Circulo Imperii comprehenditur. Equidem Goldastus putat, Bohemiam *undecimum* Circulum Imperii constituere, vid. ejus *Bohemia lib. 1. c. 2. n. 5. & l. 4. c. 8.* Verum hæc sententia legibus & consvetudinibus Imperialibus haud conformis est, hinc dudum rejecta est ab Arumæo *de Comit. cap. 2. n. 41.* Carpzovio *de Leg. R. Cap. V. Sect. 8.* de *Borussia* etiam certo Circulo includenda deliberatum fuisse a Maximiliano, asserit Vitriarius *J. P. lib. 2. tit. 6.* §. 5. conf. etiam Kulpis. *ad Monzamban. cap. 2.* §. 15. Verum successu destituta est hæc deliberatio. Imo cum hodie in Regnum Borussia evecta, & sic a cætera Germania, quo ad vinculum plane soluta sit, nil hic amplius reunionis sperari potest.

§. II. Ceterum an ex regulis prudentiæ & politices defendi possit hæc divisio Imperii in Circulos a Maximiliano I. instituta; disceptari in utramque partem plausibiliter posset. Omnis mutatio in politicis suis non caret periculis. Si vero illa mutatio in divisionem Ordinum unius, quam præ se fert, & vulgo asseritur, Reipublicæ vergit, multis difficultatibus & dissidiis ansa videtur præberi. Accedit, quod studium in commune consultandi de rebus salutem omnium, aliquos propius, aliquos remote licet attingentibus, refrigeretur, si quævis regiones magnæ vel Circuli res suas sibi habere jubeantur, conf. Conringius *ad Lampad. cap. 2. c. 8. §. 28.* Verum hæ rationes non obstant, cur non saltim in hypothesi ad Imperium nostrum, laudandam, censeamus divisionem hanc Circulorum. Etenim illa fuit, jam tempore Maximiliani I. corpo-

Corporis Imperii dissolutio, & usque adeo laxatum erat vinculum unitatis Reipublicæ, collapsaque autoritas, qua continebatur illud, legum Imperii, ut nullum remedium hisce divisionibus membrorum esset, quam divisio Imperii in Circulos. Tali enim ratione autoritati legum publicarum consultum est aliquantisper, adjecta scilicet pœna Banni contra immorigeros exequenda a Ducibus Circulorum. Nam ut tota Imperii moles sese commoveat super executione sententiæ alicujus Cameralis, hoc & nimis sumptuosum, nec minus difficile ac tardum foret. Breviter hæc complectitur Thuanus *lib. 2. hist.* ubi in eleganti digressione ac discursu de Statu Germaniæ, inter alia de Circulis dicit, constitutos illos esse, ut (1) essent, unde Senatus Imperii, qui summa cum autoritate jus dicat, suppleatur, deinde (2) ut Paci publicæ consulatur, ac leges Imperii, latæque sententiæ executioni mandentur. conf. etiam Strauch. *Diss. Exoter. 1. th. 4.* Hinc prudens hoc institutum Circulorum est.

§. IV. Igitur utilitas horum Circulorum & divisionis satis patet, conf. etiam Dn. Obrecht *ad Monzamb. cap. §. 15.* Ex quibus autem membris quilibet Circulorum constet, prolixum nimis foret recensere, præsertim cum in omnibus libellis scriptorum juris publici sufficiens descriptio occurrat, in specie apud Zeilerum in *Notitia X. circulorum Imperii*, lingva vernacula edita. Constat etiam multos Circulos diminutionem membrorum & potentiæ passos esse. Sic, ut antiquiora non addamus, novissima Pace Ryswicensi art. 4. & 16. *Argentoratum* cum omnibus dependentiis in sinistra parte Rheni sitis, ac simul decem Civitates Imperiales Alsatiæ ab Imperii Jurisdictione exemptæ sunt. Fusius hæc res traditur in *Vitriario illustrat. lib. 2. tit. 6. ad §. 10.* Vicissim numerus membrorum in nonnullis Circulis auctus est. Sic Circulo *Bavarico* accessit Princeps *Lobkovicius.* Circulus *Svevicus* auctus est 1644. Principis de Aursperg. & 1667. Comitis a Sinzendorff aliorumque receptione, de quibus videatur Dn. Schwe-

Schvveder. *J P. part. general. c. 4 §. 6.* Quidam autem Status incerti sunt, ad quemnam Circulum proprie pertineant. Sic Principatus *Arenbergicus* Circulo *Westphalico* adscriptus est, & vocatus etiam est ad Conventus Circulares Rheni inferioris. Vitriar. *J. P. lib. 2. tit. 6.* §. 10. De Abbatia *Kreysheimensi* vel Kaysersheimensi disputat inter se Circulus *Bavaricus* & *Svevicus. Id. l.c.*

§. V. Illud autem superflue disputatur, an quilibet Circulus constare debeat ex tribus Ordinibus, Ecclesiasticis scilicet & secularibus Principibus ac Civitatibus liberis? Ut ut enim hoc affirmet Schönborn. *in Polit. lib. 5. c. 6.* satis tamen ille ipsa experientia refutatur, cum Circulus *Austriacus* & *Saxonicus* superior nullas sub se complectantur *Civitates Imperiales*. Infirma etiam illa collectio est & lubrica, qua omnis ille qui ad Circulum relatus est, mox Status Imperii esse perhibetur. Sic Dux Subaudiæ est Status Imperii, & tamen nullo Circulo comprehenditur. Nobiles Immediati Circulis comprehenduntur, nec tamen sunt Status. Præterea in Circulum Imperii Rhenanum relati sunt, Goldasto teste, Dux Mosanus s. von der Maaß/ qui Bullionæus hodie audit, ut & der Prinz von Schalon/ Marchio Rötelanus, Comes novo-Castellanus sive Welsch-Neuburg/ qui tamen Status non sunt. conf. Strauch. *Diss. Exoter. I.* §. 6. Limnæus quidem circa hos dissentit *tom. 1. addit. ad lib. 2. c. 7.* nihilominus existimat, in Circulos referri qui non connumerantur inter Status Imperii, nec eorum jure fruuntur, huc refert in Circulo *Svevico*, Inhaber der Grafschafft Kirchberg/ der Herrschafft Jünstingen/ in Circulo *Rhenensi* Innhaber Hohen-Königsberg/ Planckenberg/ der Grafschafft Leiningen rc. conf. Kulpis. *ad Monzamb. cap. 2. §. 15.* Textor *de Rat. Stat. cap. 7.*

§. VI. Ceterum quod attinet *Regimen Circulorum*, illud consistit (1) in Officiis Circularibus (2) legibus & Statutis Circularibus cum jure Archivi (3) Conventibus & Diætis Circularibus (4) Decretis & eorum executionibus. Inter Officiales igitur Circulorum primo loco connumerantur *Directo-*

Directores Creyß-Ausschreibende Fürsten / quorum officium est, Status reliquos convocare ad Diætas, ibique proponere ac dirigere. Nominatim hos per singulos Circulos enumerant Limnæus *tom. I. addit.* 47. Dn. Schvveder. *Jur. Publ. part. gener cap.* 4. §. 10. Vitriarius *Inst. J. P. lib.* 2. *tit.* 6. §. 11. qui autores, cum in omnium manibus versentur, opera Directores per singulos Circulos recensendi supersedere possumus. Interdum unus, interdum duo Principes officio hoc in Circulo funguntur. Verum de hoc Condirectorio graves lites supersunt. In *Rhenano superiori* Episcopus Vormatiensis Director ægre fert Con-Directorem Electorem Palatinum hoc prætendentem propter principatum Simmerensem, videatur Wormatiensis Episcopi wolgegründete Wiederlegung der Pfaltz-Simmerischen Information, quæ refutatio 1668. edita est & extat in *Diar. Europ. Cont. XVIII. app.* Conf. Dn. Fritsch. *ad Instr. Pac art.* 17. Durat hæc Controversia hodie in superiori hoc Rhenano Circulo. Nam Palatino, ob religionem Catholicam movet controversiam Rex Sveciæ, qua Bipontinus Dux, utrumque Landgravius Hasso-Cassellanus excludere vult, quia bello tricennario Directorium hic exercuit. In Westphalico Circulo dudum etiam lites fuerunt inter Domum Electoralem Brandenburgicam & Electoralem Palatinam A. 1666. autem lis ita composita est, ut Directorium illud utrique cum Episcopo Monasteriensi commune esset, vide Transactionem desuper initam apud Lundorp. *Tom. IX. lib.* 10. *c.* 119. & in *Vitriario illustrato lib. II. tit.* 6. *adn.* 11.

§. VII. Post Directores sequitur Dux Circuli Creyß-Obrister / de cujus officio plene dispositum est in *Recess. Imp. Augustæ Vindel.* 1555. §. 56. conf. etiam Arumæus *Cap.* 3. *de Comit. p.* 56. Dn. Schvved. *J. P. Part general. c.* 5. §. 15. Hujus Ducis dignitas non est annexa Domui aut territorio uti Directorium, sed cujuscunque Circuli Status eligunt ipsum per majora. Declar. Pac. Publ. tit. Wie ein Creyß mit Erwehlung &c. Igitur cum hæc res ab Electione dependeat, satis patet nec Ecclesiasticos Principes ab hoc officio excludi posse.

Interim

Interim acris Controversia desuper orta est, cum 1555. Wurzburgensis Præsul in Ducem Circuli electus esset. Ceterum Directoris & Ducis officium in una persona concurrere posse, non inconveniens est. Imo & exteros aliquando Duces Circulorum electos esse, exemplum Regis Daniæ initio belli tricennarii superiori seculo gesti, satis probat. vid. Londorp. *Act. Publ. tom. I. lib. 8. c. 18.*

§. VII. Quia vero periculosum est, quando totius Circuli vires ab arbitrio & voluntate Ducis unice pendent; hinc ipsi aliquot adjunguntur, inter quos unus ejus quasi *Locumtenens* vocatur. Hic Ducis absentis aut alias impediti aut etiam negligentis vices supplet. Numerus vero reliquorum *Adjunctorum* der Zugeordneten legibus non est definitus, hinc cujusvis Circuli arbitrio relictus est. Reliqui Ministri Circulorum inferioris notæ sunt. Huc pertinent, qui ærario Circuli præsunt die Creyß-Einnehmere/ oder Cassirer. Hi pecuniam ad Cameræ sustentationem a Statibus solutam recipiunt, & desuper apochas iis tradunt; Dein Secretarii Circulorum, qui dependent a Directore Circuli.

§. IX. Porro ad Circuli politiam spectant *Conventus* sive Diætæ Circulares Creyß-Täge / quando scilicet aliquid deliberandum vel decernendum est, quod necessitas ac utilitas Circuli exigit. Sunt hi Conventus vel universales, vel particulares. Illi ex omnium Circulorum simultaneo Conventu æstimantur. Talis erat 1597. Erfurti cum Saxoniæ Electori impensæ in bellum Grumbachianum essent refundendæ. Post illud tempus non occurrit exemplum hujus generis Circularium conventuum. Conventus autem *particulares* Circulorum sæpius occurrunt. Horum prima species est, si aliquot Circuli maxime vicini conveniant, quod juxta R. J. d. 1571. §. 28. quotannis fieri debet, *monetæ probandæ* causa. Inde nomen der *Correspondirenden* Creyße / qui & in tres Classes distributi sunt. In *prima* correspondet Electoralis Rhenanus & Westphalicus; in *secunda*, Circulus superior & inferior Saxonicus, quibus tamen VVestphalicus solet adjungi: In tertia, Franconiæ Bavariæ, Sveviæ & Austriæ Circuli. Alter modus autem Conventus

Parti-

Particularis Circuli eſt, ſi unius Circuli membra conveniant. Hi dividuntur a Schvvedero *loc. cit.* §. 19. in Statarios, vel non. Illis certus terminus eſt definitus, qualis eſt die Probations-Täge rem monetariam concernentes. Quis indicat Conventus hosce Circulares univerſales & particulares, tum & reliqua huc pertinentia tradit Dn. Schvved. *l. c.* §. *ſequ.*

§. X. Cauſæ & negotia, de quibus Circulares Diætæ celebrantur, ſunt fere eadem quæ in Comitiis tractantur, niſi quod hic in ſpecie ad Circuli ſalutem & commodum reſpiciatur, conf. pluribus Gockel *de Circul. Sueviæ n. 21. ſequ.* Omnibus vero in dem Außſchreiben & propoſitione contentis excuſſis & per majora deciſis, Concluſum in formam Receſſus redigitur. Sequitur tunc *Executio.* Solet autem hic quæri, *an Camera Imperialis cum Circulis concurrat, & executionem Circuli per mandata remorari queat*? Videtur in affirmativam inclinare Bœcler. *Not. Imp. lib. 3. p. 48.* ad acta *Wertheimenſia* contra *Würtzburg p. 2.* provocans. Præterea ſi a Camera Bannum vel proſcriptio decreta, executio Circulo demandanda eſt, in quo ille Status contra quem fertur bona ſua habet. Acriter hoc ventilatum eſt in cauſa executionis Donavverdenſis. vid. *Autor Informat. Donavverdic.* Rudolphus quippe II. Duci Bavariæ executionem contra hanc Civitatem injunxerat, licet illa Civitas ad Circulum Sveviæ pertineret. Verum hoc poſtea per leges publicas Imperatori interdictum. conf. *Inſtr. Pac. tit. 16.* §. *inprimis.* Alia etiam 1697. controverſia in Circulo Saxoniæ Inferioris orta eſt. Imperator enim in Cauſa Megapolitana, præteritis Directoribus & Duce Circuli Inferioris Saxoniæ, nimirum Electore Brandeuburgico, Rege Sveciæ & Duce Luneburgico, executionem ſententiæ in favorem Sverinenſis Ducis latæ Delegato ſuo Comiti Eccio commiſerat. Aſt Directoribus jura ſua turbari haud ſegniter ferentibus & facta factis opponentibus, diſceptatum eſt, an *Imperatori hæc poteſtas ſalva fuerit*? Aſſerere hoc voluit Anonymus (quem Dn. Mulzium eſſe credunt,) edita Diſſertatione *de Officio Ducum & Directorum* Circularium. Verum hanc ſacris auſpiciis ſolidiſſime illuſtr. Dn. Strykius & Magnif. Dn. Coccejus peculiaribus ſcriptis refutarunt: quibus addi poteſt Exc. Dn. Thomaſii Diſſ. huic Anonymo oppoſita.

 §. XI. Ita

§. XII. Ita se habet, vel potius habere debet regimen Circulorum. Verum successu temporis multa hic immutata sunt, quod in tam vasto & late fuso corpore, ubi omnia minus durabilia sunt, non adeo mirandum est. Summatim vero Bœclerus *Notit. Imp lib. 3 cap. 3.* in synopsi proponit defectus Circulorum. Huc refert (1) quod apparatus & Ordinationes Circuli magis magisque negligi cœperint. Variis exemplis hoc illustrat Heiden. Grund-B. *p 3. c. 7. 9.* Dn. Textor *de Rat. Stat. cap. 3.* (2) quod executio claudicare incipiat, Circulis vel cunctantibus vel recusantibus. (3) Omissa antiqua Circulorum correspondentia. (4) Controversiæ inter Consessores de loco sessione, voto, subscriptione in Comitiis. vid. Limn. *addit. tom. 1. ad lib. 9. c. 1.*

§. XII. Illud vero inprimis desideratur, & Statui præsenti Germaniæ salutare creditur, si Circuli, maxime Gallo vicini, perpetuo milite essent instructi. Varia prodierunt scripta consilia ad sumptus & militem conscribendum suppeditantia. Verum an omnia æque facile posfint in praxin deduci, quam quidem in chartam conjiciuntur, merito quis dubitat. Interim nonnulla saltem poterunt hauriri ex hisce, postea in Consilium patriæ adhibenda. Huc referri merentur Almers *miles perpetuus Germaniæ* nuper prodiens. Nonnulla etiam jam monuerat satis politice Dn. Textor *de Ratione Status Germaniæ cap. 16.* Merentur etiam legi elegantes Dissertationes Dn. Strykii de *Militia Circulari*, & *Militia Imperiali*. Res hæc enim inprimis disceptari cœpta est, postquam 1695. Coloniæ de milite Germaniæ perpetuo & justo exercitu alendo deliberatum est. Pertinet huc *Consultatio* de hac re a *Kulpisio* instituta eodem anno. Huic autem se opposuit Dn. *Limbachius*, cui iterum respondit Kulpisius: Scripta hæc typis evulgata sunt Stutgardiæ 1697. 4. & instar Commentariorum in hac materia esse possunt, quia Limbachius dubia non proletaria facit contra perpetuum militem Germaniæ, contra Kulpisius nodos hosce solvit.

§. XIII. Appendicis loco materiæ de divisionibus Circulorum solet annecti divisio in *Quaterniones*, uti vulgo vocantur, qua dicunt Status Imperii, ratione officiorum dividi in 4 Electores Laicos, 4. Ecclesiasticos, 4. Patriarchas, 4. Primates,

tes, 4. Cancellarios, 4. Episcopos, 4. Duces, 4. Marchiones, 4. Burggravios, 4. Comites &c. Prolixum Catalogum harum quaternionum exhibent Goldastus *tom. 1. Constit. p. 34. seqq.* Onuphr. Panvin. *de Comit. Imp. c. 13.* Limnæus *Jur. Publ. l. 1. c. 7. n. 39. & in Addit.* conf. Eyben *de Stylo Curiæ p. 35.* Nonnulli autem augent hunc numerum quaternarium, alii vero minuunt. Tota autem illa divisio non tabulas publicas sapit, sed inventum otiosum Monachorū est, quibus eo tempore quodlibet fingendi semper fuit æqua potestas. vid. Conring. de *Germ. Imp. Civibus §. 40. & de fin. c. 29.* Sic non conveniunt defensores quaternionum de hujus instituti Origine. Alii ad Ottonem III, alii ad Carolum IV. referunt. Ast historici de utroque silent. Ipsa schemata valde etiam discrepant, indicio quod non legibus publicis sint lata, tunc enim certa forent. Equidem hisce rationibus non obstantibus defendit Dn. Fritschius *pec. tr.* authenticas esse has divisiones, & insignes prærogativas tribuere illis qui ex isto ordine quaternario sunt. Ast uti forsan studio Comitum Schvvartzburgicorum hoc titulo utentium factum hoc est; ita facile potest responderi ad primarium dubium Dn. Fritschii provocantis ad *Rec.* de an. 1567. §. darauf haben Wir &c. Nam in hoc §. mendum scribæ apparere, & verba non dispositive sed relative intelligenda esse, monent Kulpis. *ad Monzamb. p. 1. c. 2. p. 598.* Dn. Eyben *de Styl. Cur. p. 35.*

§. XIV. Succedunt nunc *Judicia Imperii summa.* Horum enim sententias Circulorum Duces exequi oportere, modo traditum est. Hinc etiam non de toto ambitu jurisdictionis horum judiciorum, quatenus etiam res & causas privatorum complectuntur, agere animus est, sed in tantum, quantum Causæ & Controversiæ Principum inter se hic ventilantur. Varia autem fora agnoscunt Principes Germaniæ, & ipse Imperator. Quo ipso tamen nil præeminentiæ ac excelsæ superioritati territoriali detrahitur. Camera enim fundata est consensu communi omnium Statuum, hinc ex spontanea submissione hæc stabilita est, non ex imperio aut nudo jussu Imperatoris.

§. XV. In specie quod attinet forum Imperatoris, in Aurea Bulla cap. V. §. fin. expresse constituitur, quod coram Comite Palatino ad Rhenum Imperator super causis, pro quibus impetitus

titus fuerit, respondere paratus esse debeat, uti verba Bullæ habent. Quod plerique cum illustr. Dn. de Rhetz. *J. P. lib. 1. tit. 4. §. 64.* & Exc. Dn. Coccejo *Jurisprud. Publ. c. 16. §. 14.* de causis Civilibus intelligunt. conf. etiam Dn. Thulemar. *de Octoviratu cap. 18. §. 29.* Crüger de *Novemviratu Discurs. 4. §. 10.* Interim nullum fere exemplum hujus judicii Palatini in causa Imperatoris proferri potest ex actis publicis. Causa haud dubie illa est, quod Imperator in causis civilibus qua ArchiDux Austriæ idem forum Cameræ cum reliquis Statibus agnoscat. vid. Buxtorf. ad A. Bull. cap. 5. concl. 64. Dn. Strykii Diss. *de foro Princip. & Privator. Comm. cap. I. n. 19. seqv.* Huc pertinet formula, qua, cum Carolus V. ut ArchiDux ad Cameram vocaretur, usa est Camera: Wir Carl Römischer Kayser / entbieten dir Carl Ertz-Hertzogen von Oesterreich, &c. conf. Limnæus J. P. *lib. 3. c. 9. n. 39.*

§. XVI. Reliqui Principes & Status fora sua agnoscunt coram *Austregis* & Judiciis supremis Imperii, nimirum Camera Wetzlariensi & Judicio Viennensi Aulico. Austragæ autem forum primæ instantiæ inter Principes fundant. Vigent autem in nonnullis Domibus Principum Austrægæ Conventionales, quæ si adsint cessant legales, vid. Dn. VVeypert, Lud. Fabricius *ad Mynsing. Cent. I obs. 89.* Quænam vero Domus hisce conventionalibus Austrægis gaudeant, ordine expositum est in laudata Diss. Dn. Strykii *cap. I. n. 65. seqv.* In legalibus vero Austrægis quis ordo observetur, qui Principum & Statuum habeant illas vel non, clare docetur in *Ordinatione Cameral. Part. 2. tit. 2.* ubi sedes hujus materiæ. Reliqua exequuntur, qui de Austrægis integros tractatus ediderunt, quo referendus Schubartus *de Austrægis*. Eleganti autem brevitate & perspicuitate intricata alias hæc materia exposita est duabus Dissertationibus *de foro Austragarum* & de *Processu Austragarum* sub præsidio illustr. Dn. Strykii habitarum, quo lectores remittimus.

§. XVII. Breviter autem ad ductum memorati textus Cameralesres ita potest comprehendi. Personæ forum Austrægarium habentes sunt vel primi, vel *secundi* Ordinis. Ad illos pertinent Electores, Principes, & Principali dignitate fulgentes, qui vocantur Fürsten-Mässige in alleg. textu. Hi rei partes sustinentes, contra cujuscunque conditionis Actores hoc primæ instan-

stantiæ foro privilegiato fruuntur. *Ord. Cam. p. 2. t. 4. §. f.* Secundi Ordinis personæ sunt Prælati simplices, Comites, Barones, Nobiles Immediati. Hi, si a primi aut secundi Ordinis personis in jus vocentur, Austragas habet. *O. C. part. 2. t. 3. 5.* Si vero lite pulsentur a mediato Cive aut Civitate, licet *Imperiali*, quæ jus Austrægarum non habet (habent enim harum *nonnulla* tantum vid. Vitriar. *J.P. l. 4. t. 5. §. 7.*) tunc non coram Austrægis, sed recta coram Camera vel Judicio Aulico conveniendi sunt. vid. Limnæus *J.P. lib. 9. c. 5.* Blum. *Proc. Camer. tit. 27.* Conring. *de Jud. Reip. Germ. th. 53. seqv.*

§. XVIII. Porro quando in his Austrægariis Judiciis sententia lata est qua stare nolunt partes litigantes, tunc cessant Austrægæ & provocatio fit ad Judicia suprema, Dn. Textor *ad R. J. noviss. Diss. 1. §. 55.* Gaudent tamen nonnulli Statuum privilegio electionis fori, ut scilicet illi tanquam rei intra certum tempus post requisitionem ab Actore, eligere possint, an Coram Camera an vero Judicio Aulico se sistere velint. Hoc vero jure gaudent Serenissimi *Duces Brunsvvicenses & Lüneburgenses* in debitis liquidis & confessatis, ut intra *duos menses* a requisitione, an in Camera, an in Judicio Aulico actionem excipere velint, declarare possint. vid. ill. Dn. de Rhetz *Inst. Jur. publ. lib. 4. tit. 3. §. 2.* Idem privilegium *Regi Schvvecia* assertum est in *Instr. Pac. artic. X. §. deinde*, si scilicet intuitu Ditionum Germanicarum conveniendus sit, ita tamen, ut intra *tres menses* a requisitione, de electione fori facta, Actorem reddat certiorem. Gaudent etiam eodem *Marchiones Brandenburgici* in Frevel und Schmach-Sachen / lähmden und fliessenden Wunden. vid. Burgold. *Not. Imp. p. 3. Disc. 19. n. 19.*

§. XIX. Ordo igitur nunc tangit summa Judicia Imperii, quæ sunt *Camera* & *Judicium Aulicum*. Fundata est Camera a Maximiliano I. Qualis autem status Iudiciorum ante illa tempora fuerit, plenius inquirit Conringius eleganti Dissert. *de Imperii German. Judiciis*, unde patet Judiciorum per Germaniam diversis temporibus diversam fuisse rationem. Magis tamen occupatus deprehenditur circa illas causas quæ in Judiciis istis ventilitæ fuerunt, personas Iudicum & a quo constitutæ ille fuerint. Quomodo autem judicia fuerint peracta,

 Conrin-

Conringius vix attingit. Hinc defectus hujus Dissertationis aliquantisper suppleri poterunt ex Lehmanno, qui *l. 2. c. 28 seq. l. 4. c. 21.* & in aliis locis eruit nonnulla ex antiquis Patriæ monumentis, quæ ad modum vetustorum judiciorum Germaniæ pertinent. Nonnullas etiam reliquias veterum jurium, modum processus veteris spectantium, protraxit in lucem antiquitatum patriarum solertissimus scrutator Schottelius *in tr. de antiq. & singular. Jur. Germ.* vestigia item antiqui moris procedendi in Scabinatibus nonnullis deprehenduntur, de quibus conferatur Brummerus de *Scabinis* & in specie de Scabinatu nostro Halensi Dn. D. Ockel *eleg. tr.*

§. XX. Non vero Camera a solo Imperatore fundata est, sed simul cum consensu & suffragio reliquorum Statuum. Hinc in Rec. Imp. de 1654. §. 126. vocatur **Unser und des Heiligen Römischen Reichs** Cammer-Gericht / & adhuc clarius in *eodem Recessu* §. 156 damit aber auch Unser und des H. Röm. Reichs-Cammer-Gerich / **als welches Uns / Sampt ChurFürsten und Ständen des Reiches** *repræsenti*ret &c. Replica trium Electorum apud Lundorp. *tom. 2. Act. Publ. lib. 1. tr. 4.* expresse provocat, daß Cammer-Richter und Beysitzer **ihre** *Jurisdiction* von Käyserlicher Majestät auch Churfürsten / Fürsten und allgemeinen Ständen des Reichs haben. Ex hisce satis patet, quid sentiendum sit de Schützio *J. P. Vol. 2. Disp. 2. th. 6. lit. D.* aliisque contendentibus, Cameram Imperialem suam jurisdictionem soli Cæsari acceptem ferre dubere. In quam sententiam adducti sunt, quod in Camera sententiæ nomine & Sigillo Cæsaris expediantur: quo argumento nil jejunius esse potest. Hospes enim in politica est, qui ex schemmatibus externis, titulo, stylo Curiæ, insignibus & aliis solennibus vult judicare de juribus realibus Statuum Imperii. Subtilior non verior est sententia Kulpisii *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 20.* Bœcleri *Not. Imp. lib. 13. c. 2.* aliorumque existimantium, Jurisdictionem radicaliter esse apud Cæsarem, ac ab ipso Cameram accepisse, quæ tamen quo ad subjectum, formam & modum expediendæ jurisdictionis, communi Statuum & Cæsaris autoritate instituta sit. Verum cum sic Jurisdictionem Cameræ a Cæsare & Statibus

pro-

professam esse nolentes volentes confiteantur; possumus de cetero hisce Autoribus jurisdictionem suam Cæsaream sine subjecto, forma & modo, una cum infinitis aliis abstractionibus ad jura Publica non quadrantibus, relinquere meditanda. conf. Dn. Thomas. *ad Monzamb p.269.*

§. XXI. Constat hoc Camerale Judicium ex *uno Judice* illustri sangvine nato, ab Imperatore constituendo, & religionis approbatæ in Imperio. Huic adjuncti IV. Præsides inferiores a Cæsare constituendi duo religioni Pontificiæ, duo Evangelicæ addicti. Numerus Assessorum ad quinquaginta auctus est Instrumento Pacis Westphalicæ *art.* 5. §. 23. ita ut XXVI. religioni Catholicæ XXIV. religioni Protestantium essent addicti. Scilicet ut tolleretur Protestantibus materia quærendi, quasi prævalente numero Assessorum Catholicorum ipsi justitiam experirentur minus faventem. Verum ne ultra 17. unquam visos fuisse Assessores, testatur *ex Blumio Proc. Cam. t.14. n.15.* Vitriarius *J. P. lib.4. t.6. §.11.* Imo ultra *novem* jam in Camera non deprehendi Assessores, docet Thucelius *in Elect. Jur. Public. Curios. c.10.* Dn. Hoffman. *Respon. Jur. in append. p.38.39.* Quæ paucitas Assessorum in causa etiam videtur esse, cur ita difficulter & tarde processus finiantur, ita ut in proverbium fere antea abierat: *lites Spiræ spirant non exspirant.* Quanto autem cum damno Germaniæ, ut & justitiæ violatione manifesta hoc conjunctum sit, quilibet videt. Plures defectus Cameralis hujus Judicii politice sed & satis salse annotat Monzambano *de Stat. Imp. cap.5. §.20.* Sic etiam ad hosce defectus emendandos remedia quædam allata sunt in novissimo Recessu Imp. de 1654. quæ tamen huic malo penitus extirpando non sufficientia videntur. conf. etiam Kulpis. *ad Monzamb. p.125.*

§. XXII. Alterum judicium Imperii supremum Viennæ residet, & Judicium Cæsareum Aulicum audit. Hoc pari potestate cum Camera gaudet, ita ut quæ in illa moventur lites ad hoc non possint pertrahi & vice versa. Vocatur Aulicum **Käyserlich Reichs-Hoff-Rath** / non quasi cum ejusdem Consilio sanctiori unum idemque sit, sed quod sem-

per

per in loco fit, ubi Cæsar animum residendi habet. vid **Reichs Hoffger. Ordnung** *tit.* 1. §. 4. Quanquam vero hoc judicium vetustius Camera perhibeatur, tamen ejus leges primum *Ferdinandus* Cæsar promulgavit 1549. Auxit *Maximilianus* II. plane innovavit *Matthias* 1614. correxit ad Statuum desideria *Ferdinandus* III. in Comitiis Ratisbonensibus 1654. Judicii hujus autoritas a solo hactenus Imperatore pependit. Moguntinus tamen, utpote Vice-cancellarius Imperii, jus revisionis sibi vindicat, non tamen juramento Assessores Judicii hujus ipsi sunt adstricti, uti Burgoldensis *p.* 2. *Disc.* 20. *n.* 8. existimat. Nam Vice-Cancellarium ille quidem constituit & juramento sibi devincit & Protonotarium ac Secretarios Cancellariæ Imperii, *Cap. Joseph. art.* 39. non vero Judicii Aulici. vid. Kulpis. *ad Monzamb. p.* 146. Caussas instituti hujus Judicii Aulici divinando assequi non difficile putat Monzamban. p. 285. quas etiam satis libere acuteque aperit ibidem. Desumtam vero hanc ejus conjecturam esse ex invidiosa philosophia Hippolythi a Lapide, persvadere cupit Kulpisius, prudens, sed non ubique sincerus annotator ejusdem p. 146. quod si sit, non tamen omne odiosum & invidiosum mox falsum est & erroneum.

§. XXIII. Numerus Assessorum hujus Iudicii Aulici ex ordinatione Ferdinandi III. ad 18. computato Præside est adstrictus. Temporibus Maximiliani II. Rudolphi II. & Mathiæ fuere nonnulli Assessorum Evangelicæ religioni addicti. Sub Ferdinando II. & III. autem nullus hujus religionis adscitus fuit, quod Evangelicos Principes male habuisse, & sæpius de ea re conquestos fuisse, testatur Conring. *de Jud. Imp. Germ. th.* 100. Postea tamen in *Ordin. Jud. Aulic. tit.* 1. §. **Wir wollen**/etiam hisce querelis aliqua medela est proposita, de qua plenius consulatur Dn. Schvveder *Jur. Publ. part. Spec. Sect. I. c.* 12. subjungens tamen; *Utinam autem hæc modo ita hodie servarentur.* vid. Fritsch. *in addit. ad Limn. l. 9. c. 4. n. 5 p.* 397. Reliqua circa hoc judicium notanda exequuntur Dn. Jo. Christ. ab Uffenbach, *Tr. de Consilio Cæsareo-Imperiali Aulico* 1683. Vinnæ primum excuso. Gerhardus *Discursu de Judicio Aulico & Cameræ*, Mauritius *Differt. de Judicio. Aulico.* §. XXIV.

§. XXIV. Defectus hujus Judicii, uti antea Cameralis, sagacissime, more suo, explorat Monzambanus *Cap. V. §. 21.* Illud autem quod annotat, Causas controversas, si a ispectus quidam politici intervenerint, ad Cæsarem transmitti, & consequenter sententiam non ex justitia sed ex politica ferri; Bœclerus plenam prudentiæ (utinam & justitiæ) laudem habere notat *Notit. Imp. lib. 13. c. 4.* Negari interim non potest, in Iudicio Aulico processus facilius terminari, cum lentissimo Processui Camerali haud se adstrictum profiteatur. Sumptuosior quidem vulgo hic modus procedendi reputatur, verum hoc brevitate compensatur. Quod vero porro de largitionum facilitate annotat Monzambanus *l. c.* omitti potuisset, cum judice Dn. Thomasio *ad h. l.* hoc vitium commune in totius Orbis judiciis sit & odiosa haud dubie hac parte comparatio foret inter Iudicium Aulicum & Camerale. Interim ut hac suspicione sese liberent, consultum Monzambano videtur, si litigantibus indicare erubescerent, cuinam ipsorum causam in Senatu referre sit, injunctum.

§. XXV. Quam suprema vero hæc judicia sint, supersunt tamen Causæ Principum in quibus decidendis nullam habent potestatem. Huc pertinent Causæ *Matrimoniales Principum Protestantium.* Hæ nec coram Camera, nec Iudicio Aulico, nec ipso Imperatore ventilari possunt. Ultimus hic posset esse judex nisi principia religionis, qua imbutus est, refragarentur. Igitur hæ Causæ Principum in propriis Consistoriis ventilandæ sunt, exteræque facultates Theologicæ & Iuridicæ in hisce casibus consuli solent. Equidem non defuerunt Consilia nonnullorum de Universali Consistorio Protestantium erigendo, penes quod arbitrium horum Casuum futurum esset. Verum ejusmodi Consilia in praxin deducere politice & moraliter impossibile est. conf. Dn. Stryck. *Diss. de Jur. Princ. & privat. comm. Cap. I. num. 99. seqv.*

§. XXVI. Quo ad *causas Criminales Principum*, nullum Iudicium Imperii fundatum est. Equidem in causa fractæ Pacis publicæ & perduellionis Camera Iudex est, vid. *Ordin. Cam. p. 2. t. 9.*

§. So jemand. Verum severitatem hanc legum usus sequentium temporum dudum immutavit. In reliquis vero causis pœna Banni erga Status Imperatori adscribitur, sed non soli, verum adminimum consensus Electorum requiritur. vid. *Cap. Leopold. art.* 13. Intelligendum vero hoc est de criminibus Principum quæ turbant harmoniam Imperii, ejusque statum evertere cupiunt, & hoc intuitu *publica* possunt vocari. Nullatenus vero hoc offuscat splendorem Principum summum. Nam pactis pœnalibus se invicem adstringere nil talium, v. c. frangere pacem publicam, perpetrare, aut si perpetraverint, pœna coercere hos ausus, nil dehbat de summa dignitate & potestate. Quare dicendum est, habere Bannum speciem executionis militaris, jam vero etiam inter summos & absolutos Principes nullum superiorem recognoscentes nullum aliud remedium superest, quam vis armorum. Hinc & nuperrime vidimus, aliquam ex fœderati Belgii Provinciis subsidia belli præteriti morose declinantem, reliquas armis terruisse ac illa interminatas esse, nisi Capitibus unionis Ultrajectinæ satisfaceret. Omnia hæc non abhorrent ab indole liberarum Rerumpublicarum, sive expresso fœdere junctarum, sive ob formam suam eo inclinantium.


§. XXVII. Accedit quod hæ proscriptiones & in Bannum declarationes ultra delicta Principum qua Principum non extendenda sint. Nam si *ut homines delinquunt*, nullus mortalium potestatem habet eos Capitaliter puniendi, vid. *Diss. de Mut. A. Bullæ* §. 10. Imo etiamsi per Bannum & Bellum procedatur contra illos, exui quidem possunt terris suis, sed personæ ipsorum merito debet illæsa relinqui. Nam in seculo tam culto, quale nostrum, Principum etiam Germaniæ personas omnibus sacras & inviolabiles ac a judiciis capitalibus immunes censeo cum Furstenerio *de suprematu p.* 30. Olim, eleganter pergit ille, cum feri magis hominum mores essent, novum non erat, Imperatores, Reges, Principes non tam solio excuti, sed & occidi & cum cruciatu excæcari, emasculari aliterve mutilari, vel certe tonsos in Monasterium trudi; In Historia Constantinopolita nil est frequen-

frequentius, sed ea re factum est, ut vilis Regum Principumque sangvis videretur, adsveto eorum ruinis ac contumeliis populo; & quæ hodie non sine horrore leguntur, quiete spectante. Execrationi omnibus est crudelitas Caroli Andegavensis in Conradinum Svevum & Fridericum Austrum. Ipsa Anglia ejus immanitatis hodie dedit pœnas, qua in Regium sangvinem magnosque Principes olim sævitum est. Nam & Cominæum memini dicere, triginta annorum spatio, octuaginta regiæ stirpis Angliæ Principes bellis Civilibus aut suppliciis interiisse, & Mariæ Stuartæ tragicus exitus a prudentibus probari non potuit, docuitque eventus quam periculosum sit, assvescere Populum spectaculis in Principes funestis.

§. XXVIII. Falleretur vero insigniter qui sibi persvaderet, illam immunitatem a pœnis tantum concedendam esse Principibus independentibus (suvaranitatem vocat stilus Politicus) vicissim Germanicos posse capitis damnari. Legi enim in historiis, quod Fridericus I. Hermannum Comitem Palatinum, ob turbatam Germaniam, Canem scabiosum in Publico conventu portare coegerit per integrum milliare, Otto Frising. *hist. de Frider. I. lib. 2. c. 28.* Alt hæc æque quadrant ad nostra tempora, quam quod legimus Iosuam V. Regum Colla calcasse, Sesostrin Regibus vectum esse, Romanos vero in triumphum illos duxisse. Instant autem & Carolum V. Johannem Fridericum Electorem Saxoniæ Capitis damnantem producunt in Scenam. Verum quam facile exemplis quis decipitur, si illa sine politica prudentia ponderentur. Illa sententia capitalis tantum in terrorem ac speciem lata erat a Carolo, quo citius Castro Wittebergensi potiretur. Certe Caroli V. prudentia ac moderatio notior est, quam ut tam crudele factum ipsum serio sibi proposuisse dici possit. Si vero Carolus facere ausus fuisset, uti cum captivo Electore, imo & captivo Rege Francisco I. facere poterat, ipso rei horrore sane omnium voluntates a se abalienasset, odio occulto Germanorum alias prægravatus,

 quod

qued Philippum Hassum plus quam punica fide in Captivitate justo diutius detineret. Multa tali casu suscipiuntur, bene hoc monente Furstenerio *l. c.* quæ defendi non possunt, & ut dicam quod sentio, mihi Electoris aut Principis damnatio a Cæsare profecta, non magis justa videtur, quam Cæsaris exautoratio ab Electoribus decreta.



DISSER-



DISSERTATIO XII.

De

RATIONE STATVS IMPERII ROMANO-GERMANICI.

SUMMARIA.

Præjudicia contra præsens thema de Ratione Status Germaniæ. §. 1.
Removentur illæ objectiones. Nævus veterum Publicistarum quod de ratione Status nil attigerint. §. 2.
Declinatur expectatio, ac si arcana Reipubl. sub hoc titulo essent comparitura. §. 3.
Scriptorum, maxime Italorum, variæ definitiones Rationis Status. §. 4.
Germanici Scriptores de Ratione Status: Judicium de Hippolytho a Lapide. §. 5.
Laudatur Dn. Textoris tr. de vera Ratione Status Germaniæ, & quid in hoc scriptionis genere potissimum observandum sit §. 6.
Defenditur philosophia Textoris circa tolerantiam religionis. §. 7.
Ratio Status in genere consideratur. §. 8.
Ratio Status Principum specialis intuitu suarum Provinciarum. §. 9.
In quo sensu de Ratione Status Germaniæ hic agatur. §. 10.
Incommoda formæ a regulis politicis abeuntis. Quænam formæ pro politice perfectis habeantur. §. 11.
Forma Imperii præsens an ex enumeratis illis sit, inquiritur. §. 12.
Differentia inter vitia Status & vitia hominum sive Administrantium. §. 13.
Vitia Status Germanici quænam? Mutua renitentia inter Imperatorem & Ordines §. 14.
Æmulationes & distractiones Ordinum & occulta intestina dissidia enumerantur. §. 15. & 16.
Odia ex diversa professione Religionis, & quid Germania in posterum inde metuendum sit. §. 17.

Incommoda ex ambagibus Processuum, moneta corruptione & varietate. § 18.

Ostenditur ejusmodi vitia enumerata ex forma & statu præsenti non posse non fluere. §. 19.

Removetur ineptum præjudicium, ac si cum officio boni civis pugnet, incommoda status Civitatis suæ tangere. §. 20.

Remedia quæ his malis eradicandis solerter excogitata, nec applicabilia, somnia sunt. §. 21.

Causa, cur nulla spes sit, formam Imperii in regularem mutari posse. §. 22.

Remedia laboranti Germaniæ suggesta ab Hippolyto a Lapide Monzambanus convellit, ac alia substituit, judicium de iis §. 23.

Remedia Generalia Germaniæ a nonnullis suggesta. §. 24.

Ostenditur illa remedia esse curis palliativis *non absimilia & frustranea, quamdiu in Civitate singuli non serio propria felicitati student.* §. 25.

Emendatio status religionis & cultus divini. Grave monitum Forstneri. §. 26.

Ostenditur mutua tolerantia dissentientium in religione & piorum Antistitum fideli instructione, plus effici posse, quam omnibus Conciliis & Colloquiis religionis causa institutis. §. 27.

Emendatio Status politici per Commmerciorum facilitationem. § 28.

Inutiles peregrinationes Germanorum rejiciuntur cum Monzambano §. 29.

Probi & prudentes Consiliarii Principi adhibendi sunt, ut eo melius omnia gubernentur. §. 30.

§. I. In-

§. I.



Nsolens ac novitatem spirans inscriptio præsentis Dissertationis videri posset, eo quod in hac, de ratione Status Germaniæ quædam in medium adducere præsumamus, præsertim, cum nullus veterum scriptorum Juris publici præiverit hac in parte, & præterea politicis hæc cura demandanda sit inquirendi, quid ex usu Germaniæ sit nec ne? Imo vereor, ut nonnulli nobis studium alienis negotiis nosmet ingerendi objectari fiat, cum tractatio de Ratione Status Germaniæ, sive quod huic vasto Corpori expediat, Cæsari & reliquis Statibus eorumque arcanis & sanctioribus Consiliis relinquendum sit; ne arcana Imperii prodantur æmulis & inimicis.

§. II. Verum si ita facile esset veram Rationem Status Germaniæ detegere, & sic salutaria patriæ Consilia proponere; quam quidem nullius negotii est hisce objectionibus satisfacere; Profecto res Imperii meliori loco starent. Scilicet placuit Coronidis loco præsentibus Dissertationibus addere disquisitionem de consiliis quæ Germaniæ ad conservationem status sui, & communem felicitatem, suppeditantur a peritioribus. Præivit hac in re sagacissimus Monzambanus. Hic indignum & ignavum putans ex aliis conscribere Juspublicum, vix adspersa judicii mica, Capite ultimo remedia morbis & vitiis Imperii in *Capite VII.* ingenue politiceque detectis, propinavit. Imo jam ante illum tractatu *de vera & varia Ratione Status Germaniæ* innotuerat Orbi erudito celeberrimus Textor, de quo infra disserendi occasio erit. Igitur cum Veteres Publicistæ in suis Operibus nullum hujus rei idoneum specimen exhibuerint; eo ipso demonstrarunt, quod quidem *jus Publicum* i. e. leges publicas sciverint, quod & historici esse potest; sed *Jurisprudentiam publicam*, h. e. habitum dextre interpretandi leges publicas, at-

que in dubio ſtatu e Republica conſilia dandi neſciverint. Monitum autem jam ſupra eſt, quomodo politica ſpecialis Germaniæ & Ratio Status cum Jure publico arcte conjuncta ſit. conf. *Diſſ. I. §. 13. ſeqv.* Hinc nemini hodie vitio verti poterit, ſi cum recentioribus potius fructibus quam glande veſci malit.

§. III. Nemo interim a nobis circa hoc inſtitutum expectabit arcana inaudita. Nihil enim hic occurret, quam communia remedia, aut ſaltem communium remediorum examen, an ſalutariter Germaniæ applicari poſſint; an vero ad entia rationis politica ſpectent? Nam habet ſua entia rationis non ſolum Dialectica, ſed & Politica. Hæc vero *arcana* vocare eſſet æque ineptum ac eſt titulus *Arcanorum Rerumpublicarum* Clapmarii. Talia enim non ſunt arcana, quæ ab omnibus poſſunt legi, quæ in Scholis nota ſunt, & ad media communia pertinent, uti bene monet de Clapmarii libello illuſtr. Dn. Cancell. de Ienna *de Rat. Stat. pag. 48.* Hinc nec nos feriet, quod ludibrium illi debeant cordatioribus, qui in privata vita conſtituti, ambitioſe leges præſcribere non dubitant iis, qui ad Reipublicæ clavem ſedent, licet ad id nec rogati ſint, nec æternum rogabuntur ab illis. Uti vero hoc occinendum illis eſt, qui ſemet immiſcent negotiis ſalutem publicam attinentibus, ac velut ex tripode aut ſi mavis Parnaſſo, Conſilia ſua non ſine pædagogico faſtu crepant, melius facturi ſi in defectu aliorum laborum dolium cum Diogene volutarent per plateas; ita ad aliorum circa hæc tradita minus rite ſeſe habentia convellenda, labor meo quidem judicio, reprehenſionem haud meretur.

§. IV. Propius vero excutere volenti Rationem Status Germaniæ tot ab initio occurrunt Scriptores, qui hoc thema in genere tractarunt, ut ipſa eorum multitudo, rem quam illuſtrare voluerunt, obſcuraverit ac tantum non caliginem induxerit. Inprimis vero neſcias an multum ex illis ſcriptoribus haurire poſſis Rationi Status Germanici inſerviens. Itali & Galli, qui primitus partem illam politices arcanioris ſub

sub Rationis Status nomine interpolatam orbi venditarunt, in varias descriptiones partionesque hujus rei scissi sunt, pars etiam scopo suo plane excidit. Ludovicus Septalius non semper rem subtilem acu tetigit in suo tr. de *Rat. Stat.* & haud paucas vulgares regulas affert. Aliter Scipio Ammiratus *disc. in Tac. lib. 12. disc. 1.* aliter Palazzus *de Gubernat. p. 4. c. 17.* aliter Trajan. Boccalini *in Relat. ex Parnass. Cent. 2. rel. 87.* definiunt Rationem Status. Plerique autem ita se explicant, ut modo flagitia Dominationis, artes Tiberianas, & plerumque omne illud quod in politicis contra rationem susceptum est, sub larva Rationis Status occultent, uti protervia & vesania in Ethnicis sub Heroica virtute aliquando venditatur. Exemplum prioris est Gabriel Naudæus cædem Reformatorum, sive Hugonottarum in Gallia sub Carolo IX. Parisiis factam, propter Rationem Status excusans, philosophia paulo rusticiore, Iudice B. Puffendorfio in der Einleit. der *Histor. cap. 2.*

§. V. Ex nostra natione non minus læta seges eorum est, qui hanc materiam lucubratione dignam judicarunt. Extat sub titulo *manualis politici* sive de *Ratione Status* libellus W. F. ab Efferen. Verum præter titulum nil rationis Status complectitur insipidus Autor, nimio favore erga clericos ad superstitionem usque & servitutem irretitus. Ex illis autem qui in specie de Ratione Status aliquid ediderunt, quod ad statum Germaniæ faceret, & seculum ferre posset, duo inprimis præ aliis celebriores sunt. Alter tecto nomine, ast & propterea liberior & impudentior, incedit, *Hippolitum a Lapide* semet vocans. Nonnulli autem verum nomen ejus *Rusdorffii* Palatini nobilis, alii *Dransei* Secretarii Svecici esse conjecturantur. Quicquid sit de Autore, remedia ad restaurandam veram Rationem Status ab eo proposita, quilibet patriæ amantium execratur. Flammas, ferrum, extirpationem spirat hic libellus, quippe recentibus odiis inter ipsas flammas belli tricennarii protrusus in lucem. Interim Virum istum rerum Germaniæ præ multis isto tempore peritum fuisse, non possum adduci ut diffitear. Meliora forsan pro-

protulisset, si alio tempore vixisset, aut si amor Patriæ privatis injuriis prævaluisset. Quod cum non factum sit, non mirum est, ejus remedia laboranti Germaniæ proposita, a sana politica valde aberrare. Non *Schlüterus* ejus adversarius hoc demonstravit, quippe subsidiis haud ei suppar & tantum pro Cæsare amoris ostentans, quantum Hippolitus odii; sed sagacissimus Monzambano (sive ill. Baro a Pufendorf,) *de Stat. Imp. German, c. VIII.* acute non minus quam solide tradita illa convellit.

§. VI. Meliora laboranti Germaniæ media propinavit Celeberr. Dn. Textor, adornato integro tractatu de vera Ratione Status Germaniæ. Commendandus hic tractatus tum ob judicium Autoris, tum etiam ob ejusdem, ut apparet, experientiam in rebus agendis & vita civili. Nec minus hoc utilitatem & pretium libro addit, quod post Instrumentum Pacis Westphalicæ editus sit, quippe post quem Germania insignem illam notissimamque mutationem Status sui est experta, unde non potuit non simul etiam ratio status ejusdem alterari mutarive. Interim tamen comparent in hisce Consiliis, uti in nullis non hujus generis, quæ postquam prolata sunt, nondum tamen introducta apparent, licet specie utilitatis blandiantur, & justæ sæpius adsunt rationes dubitandi, an introduci possint. Anima vero talium consiliorum videtur esse in applicabilitate. Exigua autem spes de illa capi potest, ubi genius temporum & facies rerum politicarum refragatur. Breviter: frigent Consilia talia, sine genuina politica. Hæc vero maximam partem absolvitur notitia humani generis, ejus affectuum, naturæ negotiorum humanorum. Ast quantæ molis est tali notitia imbui; aut quotusquisque est cui felicitas contingit, in Scholis & Academiis, loco nugacissimæ & ad vitam Civilem ineptissimæ philosophiæ Scholastiæ prima hæc rudimenta, ex genuina Ethica haurienda, saltem addiscendi, postea usu, in Aulis maxime, & conversatione cum magnis viris perficienda,

§. VII. Quæ

§. VII. Quæ autem de studio concordiæ & mutuæ tolerantiæ religionis monet laudatus Autor, & tanquam non minimum remedium tranquillitatis Germaniæ commendat; in eo puto omnes Cordatiores ipsum consentientes habiturum esse. Optavit dudum serio & sincere eandem moderationem nostratium erga dissentientes in religione B. Brunnemannus in Iure suo Ecclesiastico, & omnes illi cum eo adhuc hodie hoc suspirant, quibus curæ cordique est pax & salus Ecclesiæ. Equidem cum talia scriberet Dn. Textor, Germania nondum adeo felix erat, ut ejusmodi remedia pacifica sine atroci murmure & hæretificandi pruritu a rixatoribus dimitti possent, quorum stuporem si non ratio, si non christianismus convincere potuisset, tamen exemplum Belgii fœderati errorem illum; ac si turbæ ex mutua tolerantia diversarum religionum oriantur, vel palpandum tradere potuisset. Interim extollimus temporum præsentium felicitatem, ubi securius & majori cum applausu filii Pacis excipiuntur, postquam nimirum Gratia divina excitavit philosophiam, quæ docet reformationem non aliorum, sed sui ipsius, & quæ regnum Dei non quærit in verbis, in conceptu mysteriorum incomprehensibilium, in speculationibus intellectus de Deo & ejus essentia, indeque ambitiose disserendi ac cum aliis contendendi; sed in corde, in abnegatione sui, mansvetudine, humilitate, amore Dei & proximi.

§. VIII. Propius vero nunc accedamus ad naturam & indolem Rationis Status Germaniæ. Equidem vocabulum *Rationis Status* recens & ab Italis exceptum, res vero, quam indigitat, vetustissima est. In laxiori conceptu nil aliud denotat quam solertem indagationem & electionem mediorum conservandi se in illo statu, sive conditione, in qua quis, si non, quam appetit, summa, mediocri tamen, saltem sua ex opinione, felicitate vivit. Hæc est cujusvis hominis Ratio Status. Pro ut quis media honesta & societati communi non adversa adhibet, aut contraria, pro ut illa Ratio Status bona est, vel mala. Uti autem hoc casu se habet

habet conditio privatæ sortis; ita Principum non alia sors si inter se comparentur invicem & quatenus hoc intuitu exæquantur hominibus in statu naturali degentibus.

§. IX. Resultat inde duplex Ratio Status Germaniæ. Alia est generalis, intuitu totius corporis: Alia est specialis, quam habet quilibet Princeps, quælibet Domus illustris conservandi se suaque jura citra diminutionem in statu in quo sunt, vicissim omnia avertendi quæ nocere possunt. Constituunt hæc specialem politicam cujusque Principatus, & plerumque objectum sanctiorum consiliorum sunt. Semper vero ad salutem totius corporis reflectant necesse est, quia citra hanc membris bene esse vix potest. An vero hæc salus per Rationem Status in sensu Italicorum scriptorum debeat promoveri; anceps quæstio est definitu quamdiu ad specialia non descenditur. Scilicet ex mente Italorum, Ratio status in nativa sua significatione subinnuit modum quendam obliquum & arcanum ex duobus malis minus eligendi, mediis a justitia & legibus quodammodo deflectentibus & exorbitantibus ad tuendum statum publicum. Hinc prudentia mixta & extraordinaria vocanda, quia definiente etiam justissimo Græcorum, Aristide, *Respublica multa eget injustitia.* Plutarch. *in vit. Aristid.* De tali vero casu ancipiti, & ubi vel Principatus alicujus, vel Germaniæ totius status aleæ esset expositus, nisi talia adhiberentur, in præsenti non est sermo, & prudentioribus incumberet circumspiciendi, quæ Ratio Status postulatura tunc esset.

§. X. Ergo quatenus Ratio Status supponit remedia extraordinaria exorbitantia in casibus extraordinariis adhibenda, eatenus illam, utpote Circulos privatos transcendentem, aliis, & inprimis ad gubernacula sedentibus relinquimus, utpote aliquando de illa Ratione Status rationes reddituris. Sermo itaq; erit de Ordinario Statu Germaniæ præsenti, & quomodo ille tranquille feliciterque conservari possit. Hactenus enim perlustravimus in præcedentibus Dissertationi-

tionibus, quid circa publicum Statum Germaniæ *justum* h. e. legibus præceptum sit; nunc quid circa illum *utile* sit, paucis duntaxat, & ne truncus fine labor appareat, agendum erit. Ne vero tradenda prudenti ac felici somnio, quam veris ac applicabilibus mediis similiora remedia videantur, præsens utilitatis inquisitio circa Statum Germaniæ *constitutum*, & quid rerum civilium gnari ex regulis politicis circa meliorem, commodiorem & expeditiorem ejus conservationem suggerant, versabitur.

§. XI. Non poterimus vero quid utile sit Statui Germaniæ recte expendere, ni antea sollicite indagemus qualia fluant ex illo incommoda, quæ an irregularitatem, an morbos, an convulsiones cum Monzambano, an vitia Status vocare velis, nobis perinde erit, qui stultam philosophiam judicamus de re ipsa convenire & tamen de verbis clamores instituere. Equidem in genere hoc verum est, nullam structuram civilem adeo perfectam & omnibus numeris absolutam produci posse ingenio ac solertia humana, ut nulla plane incommoda eam comitentur. Interim tamen pro perfecta in hac imperfectione humana haberi potest illa forma Civitatis, quæ minimis aut non adeo magnis urgetur, & vitia magis per comparationem, quam seorsim æstimanda sunt. Sic inter rerum Civilium gnaros convenit, confirmante hoc usu quotidiano, quod ex Civitatibus *simplicibus*, h. e. forma Monarchica, Aristocratica, Democratica *strictiori* utentibus, regulariter illæ pro Rebuspublicis perfectis haberi debeant; licet hæ inter se spectatæ, commodis vel incommodis distingvantur. Civitates autem triplicis hujus generis laxioris formæ *vitiis Status* laborare solent. Ex Rebuspublicis *compositis* etiam illæ mensuram perfectæ Civitatis implent, in quibus singula corpora sive Civitates sui juris sunt, habentque omne jus scopo salutis publicæ ne-

cessarium; inter se vero nexu adæquate composito connectuntur. Ubi ista deficiunt, ibi *vitia Status* agnoscere par est, uti hoc Pufendorffius *de J. Nat. & G. lib. VII. & Diss. de Republ. irregul.* ut & sub nomine Monzamb. *cap. VIII.* Ulric. Huberus *de Jure Civit. p. 1.* aliique accuratiores Politici plenius illustrant.

§. XII. Si vero formam Imperii Germanici, & statum inde fluentem consideremus, inter perfectas Respublicas modo traditas haud connumerari poterit indicio manifestissimo, quod plerique iique celebriores scriptores Juris publici eam referant non ad Civitates simplices, aut compositas, quæ perfectæ esse possunt, sed *mixtas*. Imo si ad regulas perfectionis politicæ accederet, non apparet, quur tot clamores & rixæ super forma & modo regiminis ejusdem fuissent instituendæ, & cur uni cum altero super isthac re, si forte collatio instituatur, æque conveniat, quam Peripatetico & Cartesiano super qualitatibus occultis, particulis hamosis & ramosis aut striatis in magnetis attractione. Cum igitur forma & inde resultans status Imperii omnium aut expressa aut saltim tacita confessione politice perfectus non sit; porro despiciendum est, quinam sint morbi aut vitia quæ impediunt hanc felicitatem aut perfectionem.

§. XIII. In hac disquisitione autem, cum ardua fit, bene separanda erunt vitia *hominum* a vitiis *status*. Illa oriuntur, si Imperantes & parentes officia quæ hoc intuitu incumbunt, negligunt. Status autem vitia sunt, quæ descendunt ex pactis fundamentalibus male temperatis, quibus Civitas inidonea redditur ad procurandum & obtinendum finem intentum i. e. communem tranquillitatem & felicitatem. Apparet inde differentia horum vitiorum. Quamvis enim in vitiis Status personarum corruptio non excludatur, tamen propterea vitia status vocantur,

cantur, quia quæ a personis hic peccantur, adscribenda sint communibus nævis humani generis ac fluant ex indole negotiorum humanorum, & affectibus in prava semper declinantibus, quibus ipsæ leges fundamentales ansam dant, aut quæ occasionem præbent, non tollunt.

§. XIX. Apparebit ex hac descriptione, *mutuam illam renitentiam* quæ est inter Imperatorem & Ordines, ipsum Status Germanici vitium esse, & intrinsece illum afficere. Consistit autem mutua illa renitentia in eo, quod Germaniæ forma neque exacte ad systema Fœderatarum Rerumpublicarum, neque ad Regnum legitimum quadret, sed inter utramque speciem fluctuet legibus fundamentalibus eo inclinantibus, uti nonnulla circa hanc rem adduximus *Diss. IV.* §. 18. Exterior enim facies & inania simulacra Regiam potestatem præ se ferunt; ast quæ in effectu umbra quædam Regii Imperii est, & qualis fere cernitur in iis, qui corpori alicui sociorum velut Duces præsunt. Inde autem, annotante sagacissimo Monzambano *de Stat. Imp. Cap. VII.* §. 8. perniciosissima convulsio corpus Imperii distrahit, in diversa tendentibus Imperatore & Ordinibus, dum ille ad regiam potestatem velut postliminio, quavis occasione oblata grassatur; hi vero partas semel opes & a tot seculis possessas, non minus strenue defendere satagunt. Ex quo non possunt non perpetuæ suspiciones, diffidentia, occultæque machinationes oriri, præpediendis alterius incrementis, aut infringendæ surgentis potentiæ.

§. XX. Huic morbo Imperii adjungimus secundum ductum Monzambani *Cap. VII.* nævos alios, non minus harmoniam Imperii turbantes. Inter hos non ultimum locum occupant distractiones ipsæ inter Status & Ordines, quæ ex diversis causis proveniunt & efficiunt, ut ne concinnum quidem Sociorum Systema Germania

mania præ se ferat; Ipsi Ordines dispari Reipublicæ forma utentes male inter se compositi, dum intermixtæ passim Principibus degunt liberæ Civitates, quibus prout aut commerciis aut potentia florent, invidia, insidiæ, insultationes; aut re mediocri utentibus, contemptus & subjugandi pruritus gravis est. Quæ omnia acrius & manifestius existunt inter Episcopos illasque urbes, in quibus isti Cathedrales suas Ecclesias habent; Imo in Comitiis superiora Collegia non leve fastidium adversus Collegium Urbium ostentant. Nec usque quaque propitiis oculis sese invicem aspiciunt Principes Ecclesiastici & Seculares, quia illi per hos abdomina cœperunt gerere multo depressiora, ut Monzambano falsè loquitur, sive clarius: ob secularisationem bonorum. Illud quoque non parum ad distractionem Ordinum facit, quod inter multos magna sit opum inæqualitas. Hinc enim vitio communi humani generis, potentioribus oritur contemtus adversus imbecilliores, ex contemptu vero libido eos opprimendi, ad minimum autoritate sua regendi; his contra in suspiciones & querelas pronis, ac libertatis æqualitatem quandoque importunius crepantibus. Sed & eminentia Electorum præ reliquis Principibus, non levis dissidii causa, his tantum splendorem ægre ferentibus, ac nonnulla præter jus usurpari jactantibus; illis hactenus usurpatis cedere non cupientibus, sed pro jure atque autoritate sua strenue nitentibus. Inde querelæ de Oligarchico statu, distractiones animorum, sæpius & minæ satis acres & erupturæ, si occasio ferat, in flammas. Aut si in speciem amicitia duret, arcana tamen æmulatio animos dissociat, malum eo periculosius quo est secretius. conf. Forstner. *in Epist.*

§. XVI. Refert porro Monzambano ad convulsionem virium totius corporis non parum facientem, quod intercedant quoque singulis Ordinibus non paucæ invicem æmulationes & controversiæ. Præcipuas jam attigit

attigit ille *Cap. VII, §. 10*, pro ut eo tempore illas dijudicare valuit. Utinam autem illæ cum præcedentis Seculi fine expirassent, & non novæ fomentationes novo cum seculo accessissent. Veteres controversiæ quæ plerisque intercedunt super præcedentia, etiam nonnullorum Principum animos odiis sat gravibus distinent. Omnia Actorum Comitialium volumina oppleta sunt istiusmodi contentionibus, quæ hactenus componi non potuerunt, nisi remediis provisionariis, modo alternandi, aliisque impediendis collisionibus manifestis inde orituris.

§. XVI. Acerrimæ etiam contentiones super externa professione Religionis sive cultus divini Germaniam misere in partes traxit superioribus seculis, eo quod Sacerdotibus, ut cum Monzambano loquamur, solenne sit diversa sentientibus cælo interdicere; & quod per Protestantes Catholici Sacerdotes magna opum suarum parte sint exturbati, quarum desiderium ad easdem recuperandas noctes diesque ipsis stimulos subdit. Dico subdit. Posset videri illas odii causas excisas esse per pacem Westphalicam, quippe in qua bonorum Ecclesiasticorum possessio Protestantibus in futurum asserta, & Romano-Catholicis reliqua quoque amittendi metus demptus est. Ast aureo in seculo degeremus, si pax, si pacta essent firma validaque remedia cohibendorum affectuum. Semper in exordio Pacificationum firmæ & æternæ illæ promittuntur; semper rumpuntur repagulo mutui metus sublato. *Qui sibi mutuo nocere possunt, illi & volunt*; principium Hobbesii, imo potius interprete illo, indolis communis humani est. Contra: *qui sibi mutuo nocere possunt, illi nolunt*, altioris philosophiæ est, melioris quidem; sed rari sunt, qui ita philosophantur. Articulus IV. Pacis Ryswicensis, tum & præsentes motus Palatini satis confirmant, non deesse uni parti pacifcentium in hac causa animum, alta mente repostum odium effundendi, si occasio ferat.

§. XVIII. Potiores hi, iique sat perniciosi morbi corporis Imperii Germanici efficiunt, ut inter minores nævos referendum sit, quod *Astrææ* vestigia, maximime in causis Principum, per Germaniam fere evanuerint, inde factum est, ut jus fere in armis sit, & qui viribus pollet, causa quoque prævaleat. In causis civilibus privatorum tædiosissimus miserrimusque Processus ubique locorum deprehenditur, per quem etiam liquidissimum jus in lustra multa eludi potest. Nec minus *monetæ varietas* per Germaniam Commerciis privatorumque patrimoniis multum incommodi affert, maxime si avaritiæ nequitiæque monetariorum monetam temerantium & adulterantium fibulam laxent potentiores in prædæ partem venientes, ubi tunc nummi ipsi tenuitatis suæ verecundiam pso colore produnt civibus & exteris.

§. XIX. Hi sunt potiores morbi intra viscera corporis Imperii hærentes, qui eo perniciosiores sunt, quod vitia Status sint, ex irregulari forma propullantia ac fomentum ex ipsis legibus accipientia. Equidem si non Reipublicæ, sed hominum vitia essent, spes esset, ex interitu ipsorum mutationem in melius contingere posse, quæ plane in cineres abit, dum Germania cum hisce vitiis tamdiu luctatata est, neque tamen incommoda politica eluctata est, aut eluctabitur in posterum quamdiu in tali statu manebit. Nam non potest non ex tali forma, ex istis recensitis vitiis maxima corporis imbecillitas oriri, quam eleganter repræsentat Pufendorf. *Diss. de Republ. Irreg.* §. 27. Quamvis autem ingruente & impellente magno periculo, utcunque se defendere queat, ad omne tamen facinus magnum gloriæque capax, idem est inhabile. Singula vero istiusmodi corporis membra pro diversitate situs, potentiæ ac obtenti imperii civilis vel bene, vel male se habent. conf. Dn. Titius *spec. J. P. l. 6. c. 9. §. 33.*

§. XX. Pri-

§. XX. Priusquam vero nunc nos explicemus illa remedia ab uno alterove Germaniæ laboranti commendata; sentio gravem (si Diis placet) primo intuitu Objectionem, & præsenti scriptionis generi valde adversam, esse removendam. Prævideo enim haud paucos Reinkingianos aut Paurmeisterianos, nescio quem pruritum innovandi hic objecturos. Sugillabunt haud dubie, quod talia recedant a philosophia Bœcleri *Not. Imp. lib. 2. c. 2. quod in omni bene constituta Republica non licere debeat aliter loqui de forma & statu Civitatis, quam leges publica loquuntur & decernunt.* Boni Civis officium esse, pergent, semper magnifice loqui de Statu Reipublicæ suæ, qualiscunque sit. Morbos Reipublicæ palam ostendere, esse idem, ac Exteris Civitatem prostituere. Ast bonis istis viris prius consulimus, ut præjudicia autoritatis deponant, & tunc lis facile componetur. Præjudicium philosophiæ Bœclerianæ, quo ad hanc partem, jam elidimus supra *Diss. I. §. 2.* Boni Civis officium non consistit in falsa ratiocinatione circa statum suæ Reipublicæ, aut in inepta dissimulatione, & laudatione nævorum Regiminis; sed in patiente tolerantia malorum communium. Hinc optime in uno subjecto concurrere possunt inquisitio veritatis & officium boni Civis. Nec privatus a veritate inquirenda circa statum suæ Reipubl. excludi potest, non quasi curis publicis immiscere se velit, sed ut solum naturali ductui, quo in veritatis inquisitionem propendet, satisfaciat. Ignari autem actionum politicarum sunt qui existimant, tali ratione morbos Reipubl. exteris prostitui. Nam exteris vitia illa ex infirmitate operationum, quas ejusmodi corpus edit, plerumque notiora sunt, quam ut nunc demum ipsis innotescere debeant.

§. XXIV. Igitur uti istæ objectiones a specificatione vitiorum Status Imperii nos minime avertere potuerunt, aut debuerunt; ita nunc porro Remedia huic malo

malo tollendo, aut saltem corrigendo idonea, propius inspicere animus est. Jam supra tetigimus nonnulla, horum remediorum felicibus somniis quam consiliis politicis esse similiora. Nam felix revera Germania esset, si secundum illa in melius omnia reformari possent. Aliqui excogitant ideam aut exemplar per fectissimæ Reipublicæ, non qualis existat, aut existere possit, sed existere debeat, quam si cum Campanella in *Sole*, cum Moro in *Utopia*, cum Anonymo in Australi terra apud *Sevarambes*, tantummodo quærant, meo quidem judicio laudari possunt. Verum cum in hoc mundo perfectam illam Rempublicam quærunt tunc in somnium cogitationes istæ degenerant. Consiliorum politicorum anima est applicabilitas. Si hæc ob indolem negotiorum humanorum sperari non possit, non politica sunt ista, quæ talia ingerunt, sed abstractiones metaphysicæ.

§. XXII. Videtur vero optimum & citissimum remedium corrigendis hisce malis esse, si degenerans a Monarchia & ad Systema vergens forma sive status reformetur ad leges fœderatarum Rerumpublicarum. Ast videtur consilium politicum esse, sed non est. Tot enim intuitu Germaniæ impedimenta hic semet ostentant, ut nulla spes supersit superinducendæ perfectæ systematicæ formæ. Nam Provinciarum multitudo, inæqualitas & nimia quarundam imbecillitas impediunt, ne tale corpus in concinnum systema digeri queat. Ipsa morbi ignorantia plerorumque aut vera, aut affectata emendationi obstat, quæ uti facile ob superstites pristini status reliquias obrepere potest, ita ab iis, qui morbi dissimulatione officium boni Civis metiuntur, ac vinculum unius Reipublicæ dudum amissum, inanibus semper verbis deprædicant, strenue conservari solet. Accedit, quod pleraque corporis Imperii membra, suisque quæque rationibus ab emendatione abhorreant, ac in communis vinculi laxitate & statu præsente interesse suum quærere

soleant. Nec ultimam difficultatem creat religionum diversitas, & religionem mentiens superstitio, nec non pessimum illud de dissentientibus odio habendis præjudicium, ac ardentior amor utilitatis Dominatus externi, quam patriæ incolumitatis. add. Dn. Titius *l. c. p. 642.*

§. XXIII. Ergo cum talem reformationem in melius adducta hæc nos sperare vetent, paucis adhuc circumspiciendum erit, annon supersint consilia, quorum observatio præsenti Germaniæ statui salutaris esse possit. Adsunt talia, si tamen fatendum est quod res est, curis palliativis Medicorum non sunt absimilia. Remedia sex, seu rationes Status Hippolytus a Lapide Germaniæ svasit, verum crudelia illa, inepta & Germaniæ perniciosa inventa sunt. vid. Monzamb. *de Stat. Germ. cap. VIII.* Ipse Monzambanus *alleg. Cap.* postquam ingenue non minus quam cordate morbos Corporis Imperii detexit, media curandis malis suppeditat, non quæ originem mali tollant, sed quæ impediant, ne morbi isti plane exitium Imperii promoveant. Eum in finem §. *IV.* commendat regulas & talia media, quæ a politicis sociis & fœderatis Rebuspublicis observanda præscribuntur; cum status Germaniæ proxime accedat ad Systema aliquod plurium Rerumpubl. fœderatarum. Dein summe necessarium judicat Germaniæ concordiæ studium, ut cuique sua jura maneant, ac nulli concedatur, ut imbecilliorem possit opprimere; utque adeo inter dispares opes par sit omnium libertas & securitas. Ast bene annotat in *scholiis ad h. l.* Dn. Thomasius, quod hoc remedium tum efficax sit futurum, quando extinctæ fuerint in animis generis humani dominationes avaritiæ & ambitionis. Hinc Monzambano obstant verba, quæ ipse in §. *præced.* Hippolyto occinit: *Hoc remedium declamationi scholasticæ copiosum potest præbere argumentum, in usum autem Reipublicæ Germaniæ tum demum applicari poterit, quando*

omnes Germaniæ proceres sapere incipient & animi motus ad leges philosophicas exacte attemperare.

§. XXIV. Igitur laboranti flatui nil salutarius suaderi posse videtur, quam ut vinculum Commune, quo cohæret, conservet, ne in deterius ruat, magisque laxetur. Quod ut fiat, moderandus (nam extirpationem nævi communes humani generis vetant sperare) est luxus, ambitio, studium commodi privati, & perversum, de hominibus diversæ religionis odio habendis, præjudicium. Ast & hæc speciosa consilia, observatu vero difficilia. Quis luxum moderabitur in Seculo, ubi pompa & Ceremoniæ Aularum in summum evectæ fastigium, & quilibet decorum existimat, luxuriam potentiorum æmulari? Quis ambitioni renuntiabit, cum dudum ejus operationes sub pallio *virtutis heroicæ* venditatæ sint? Studium commodi privati & persecutio dissentientium tum demum animos relinquet, quando omnes sapere incipient, & animi motus ad leges philosophicas exacte attemperare, quod an & quando fiet, ego hariolandi nescius, futurorum anxius, non habeo, quod certi determinem.

§. XXV. Diximus supra §. 8. singulos homines habere suam rationem status, hinc Rationem status in singularem & universalem dividendam esse. Videtur certe hæc ex illa fluere. Nam ut bene annotat Dn. Thomas. *ad Monzamb. cap. 8. §. 4.* summum bonum singulorum constituit etiam summum bonum Rerumpublicarum. Uti enim in Ecclesiastici status reformatione tunc demum felicior eventus sperandus est; si quilibet reformationem a se incipiat, suadendo, adhortando & exemplo proprio vitæ inculpatæ præeat; ita & in Reipublicæ emendatione frustra communia & generalia remedia suggeruntur, quamdiu quilibet in Republica vivens, se non emendat

mendat & propriæ felicitati, quæ ex ipso dependet, non studet. Reliqua remedia, utut prudentissima videantur, tamen nil aliud sunt quæ curæ palliativæ morbum non eradicantes, sed interdum aliquantisper lenientes, interdum etiam exasperantes. Nam sine Ethica genuina, Politica depravat magis affectus humanos, quam ut corrigat. Loquor vero de felicitate morali & temporali, non vero illa theologica & æterna, cujus prægustum si omnes possiderent, felicissimo loco starent omnia Imperia & Respublicæ.

§. XXVI. Præterea salus & felicitas totius corporis bene sese habet, si omnibus membris bene fit, quod quamvis ab omnibus non expectari possit, tamen major erit felicitas & salus totius, si nonnulli saltem Status veram utilitatem Provinciarum suarum curent. Consistit autem illa promotio utilitatis, sive observatio rationis status genuinæ in emendatione Status Ecclesiastici & Civilis. Ex illa tanquam basi omnis felicitatis etiam felicitas civilis & politica derivatur. Quomodo igitur abusus in Ecclesiam irrepentes & nævi circa cultum divinum externum observati sint emendandi; de eo graviter solliciti fuerunt dudum haud pauci Theologorum & JCtorum pietate & prudentia insignium. Pertinent huc Dn. Speneri *pia desideria*, & B. Brunnemanni *Jus Ecclesiasticum*, scripta ex sincero & de damno Josephi sollicito animo profecta, utinam ab omnibus eodem candore, eadem tranquillitate mentis excepta. Experientia loquitur, quanto cum fructu ejusmodi emendationes sint in hac vel illa Provincia susceptæ, quod speciatim de terris Brandenburgicis integra dissertatione prosecutus est Dn. Thomasius *de felicit. subditor. Brandenb. ob emendatum statum religion. & polit.* Res eo redit: si dissentientes circa Mysteria incomprehensibilia amore non odio prosequamur,

& cultus divinus non in Ceremoniis, speculationibus, & concertationibus de Articulis fidei, sed in seria abnegatione sui & vera emendatione in melius quotidiana, ponatur; non potest non emendatio Status Ecclesiastici sperari & promoveri. Quantum adjumenti autem ad hanc rem veri Antistites sacrorum afferant, malo verbis Forstnerii, politici non minus cordati, quam Christiani & sinceri, in *Epistola ad Sereniss. Ducem Brunsvvic. p. 189.* delineare: *Fieri nequit ut propitio numine utamur, nisi summi pariter & infimi vitam & actiones suas omnes ad legum divinarum præscriptum dirigant, prave acta & contra DEI Majestatem commissa seriis lacrymis deplorent vitamque emendent. Qua in re cum ceteris*, qui sacris præsunt, *praire vitamque monstrare, debeant; summa cura Princeps providere debet, ut Ecclesiis ministri præficiantur, non tam docti, quam pii, non tam pugnandi de controversis articulis* (hæretificandi) *periti, quam regulam Christi, edocti, eamque sua conversatione exprimentes: Qualis apud Vos ante hac* Johannes Arndius *fuit; quem non solum in Ducatu Brunsvvicensi, sed & alibi terrarum quamplurimos discipulos imitatoresque reliquisse summopere exoptandum foret.*

§. XXVII. Si tales sacris præsunt, si Principes unanimiter coercent cacoethes illud dissentientes impune pro Cathedra insectandi; tunc sane triste illud odium Religionis, fomento subtracto, contabescet. Non Concilia, non Synodi, sive Universales, sive natio-

Nationales sint; non Colloquia, sive voces *charitativa*, sive, uti profecto omnia fuere, *eristica*, hoc malum eradicare potuerunt, aut poterunt in posterum si vel centies instituantur, & prudentissimis legibus circumscribantur. Fac ut verus cultus divinus ubique populo annuncietur, ut ille definiatur juxta simplicem ductum S. Scripturæ, ex sinceritate cordis, puritate amoris erga Deum & proximum quemcunque, ex abnegatione ambitionis, avaritiæ, voluptatis; & videbis omnes rixas, omnem contendendi libidinem, anathematismos ob diversum conceptum mysteriorum, falsas consequentias, imputationes Blasphemorum dogmatum, & similia opprobria christiani nominis, uno ictu concidere. Quamdiu vero hoc non fit, sed homines malunt christianismum verbis, gestibus, ceremoniis, non re, opera, corde exprimere, tamdiu nullum Concilium, nulla Synodus, nullum Colloquium speratos fructus producet. Quin potius observarunt alii ex genuina historia Ecclesiastica, sequestratis præjudiciis autoritatis, nullum Concilium, a tempore Nicæni usque ad Tridentinum, frugis multum in Ecclesiam contulisse, sed loco seriæ emendationis, & eradicationis abusuum in moribus & doctrina, formulas, symbola, condemnationes productas fuisse, cum & Hilarius jam suo tempore conquestus fuerit, quod vera fides ex cordibus amissa sit, ex quo cœptum est fidem formulis & chartæ includere in Conciliis & Synodis.

§. XXVIII. Sed nec minus status civilis Provinciarum emendari sæpius commode potest. Hodie felicitas & potentia Principis ex proventibus æstimatur, proventus vero dependent ex frequenti Commerciorum cursu. Inde Gallorum surgens potentia, Anglorum & Belgarum opes præ omnibus reliquis regnis conspicuæ. Quicquid alii cum Klockio, Maximiliano Faust & aliis remediorum proponant ad augendum ærarium, puto omnes regulas in commerciorum cursu felici concentrari. Quamvis autem Germania maritimis locis non multum valeat, nihilominus quilibet Princeps, qui commodo Provinciæ suæ studet, prospicere debet, ut illa omnia quæ territorium fert, usui rite applicentur, superflua exteris cedantur, & quantum fieri potest peregrinis mercibus abstineatur. Illa enim ditio locuples est ex qua multa exportantur, & pauca aliunde in illam transvehuntur. Quod si vero Germaniam intueamur, illa non solum ampla est & multitudine Regionum vicina Regna antecellit; sed & pauca deprehenduntur loca, quæ nil producant ad vitæ humanæ cultum facientia. Nam is ubique rerum ad vitam proventus est, ut eadem extraneorum rebus haud quidquam indigeat, nisi ad luxum & superfluas voluptates. His si frenum poni posset, exteri haud dubie parcius Germaniam pecunia emungendi occasionem haberent. Nec minus consultum videtur, si artifices operum manuariorum peregrinorum invitentur, Monopolia opificum nostrorum & tribuum restringantur, aut exemplo Belgii plene tollantur. Nam incrementis Provinciarum obstare ejusmodi tribus, dudum evicit Becherus in eleg. libr. von Auffnahme Teutscher Städte und Länder.

§. XXXIX.

§. XXIX. Nec desunt qui inter causas exhaustarum regionum recensent, quod per discursationes juventutis Germanicæ ad exteros, non parum argenti extra natale solum trahatur. Satyrice, more suo, has peregrinationes, tanquam ineptas circumsitationes perstringit Monzambano *de Stat. Imp. Cap. 7. § 3.* innuens, quod plerumque ex Italia nil nisi delicias quasdam vitiorum Transalpinis alias inusitatorum, & formulas blasphemandi rariores domum reportent, quod Gallia plerosque peregrinatores non aliis instructos artibus dimittere soleat; quam ut sordidius tuburcinari deinceps norint, gradusque venereæ scabiei, ex proprii ut plurimum experimentis, recensere. Qui abusus citra dubium etiam in causa est, ut nonnulli Principum, subditis interdixerint peregrinationibus istiusmodi, nisi speciali venia ab iis impetrata.

§. XXX. Quo autem hæc, & hujus generis plura alia ab Imperantibus observari queant, & omnia consilia eo felicius ad salutem communem dirigantur, Viri probi

probi & prudentes in conſortium curarum & & regiminis admittendi ſunt ex omnibus Ordinibus. Nam ſapientia & probi mores nulli ordini, nulli inſtituto humano ita peculiariter alligata cenſeri debent, ut non, & frequentius quidem, apud viros nullis privilegiis ornatos deprehendi etiam poſſint. Felix vero Princeps qui donis illis naturalibus inſtructus eſt, ut ipſe eligere poſſit idoneos præ minus idoneis, & qui non ſemper alienis oculis ac auribus fidere neceſſe habet.

